

17. 12. 1660, 12^a 13
I. N. P. M.

DE

APPELLATIONE

ad

Supremum & incorruptum Judicem

IESUM CHRISTUM

Quam vulgo

Citationem dicunt

in

VALLEM JOSAPHAT,

DISCURSUS THEOLOGICUS,

Quem

PRÆSIDE

Reverendo plurimum & Excellentissimo,

DN. JOH. ERNESTO GERHARDO,

SS. Th. D. ut & ejusdem in Salana famigerata

Prof. Publ. Præceptore ac Promotore suo devenerando

sistit ventilandum

IOACHIMUS Neumann / Perlemont Marchie.

AD DIEM JANUAR.

In Auditorio Theologorum

ANNO M DC LX.

Editio tertia.

I E N Æ,

EX OFFICINA NISIANA.

L. W. P. M.

APPELLATIONE

Supremum & inordinatum iudicium

IESUM CHRISTUM

VALLIEM JOSAPHAT.

DISCURSUS THEOLOGICUS

DR. JOH. ERNESTO GERHARDO

IOACHIMIS DEUMANNI PERMONI MARCHIS

In Auditorio Theologico

ANNO M. DC. LX.


EX OFFICINA HESLAR.





Summo Judice Omnium

Feliciter prosperitate!




Onsultandi mihi, ac cum animo meo deliberanti, ecqua de materia potissimum, cum exercere praesumerem ingenium, disputationem conscriberem, vix alia jam visa fuit commodior, quam illa, quae de *Appellationibus a terrestri hoc ad supremum immortalis Dei incorruptique Judicis Tribunal agit*. Praesertim cum & in ipsa Patria mea hujusmodi Provocationis exemplum novissime accidisse, rumore ac fama allatum ad me fuerit. Paucos equidem, hac de materia qui Theologice scripserint, videre mihi contigit, ut in apparatusis etiam Bibliothecis quaerenti; quod ipsum etiam ab instituto me pene deterruisset. Neque enim tantum mihi tribuo, ut difficillimae huic materiae partes possim & sufficientes spondere vires, nisi cogitationes meas gravissimorum Scriptorum autoritate, quae aliquando pro rationibus sufficit, fulcire aliquatenus saltem detur. Quia tamen viam ingressus eram, nolui vel reslire a coepto, vel penitus abjicere animum, sed magis eo, jucunditate, partim, partim utilitate materiae hujus stimulatus, judicii nervos intendendos duxi. *Cum & lassus quoque equus quandoque contingat ad metam*. Dabit, spero L. B. aetati veniam, ubi ex voto cuncta non successerint, simul ac illud respiciet Ebraeorum ; מרן למצודה כיושדה המצודה ; docentium



(4)
tium hoc ipso, quod intentio & conatus boni operis pro opere ipso habendi. Maturiora maturior feret aetas & decoctiora. Tu autem, Numen summum, Judex Universalis justissime veni in auxilium mihi, & infusione Spiritus tui boni iudicium meum & intellectum dignare illuminare, Amen.

Sit itaque

THESIS I.

cturus de provocatione ad supremum Christi tribunal, varia, prout in more positum est, de Etymo, sive Originatione, tum appellandi, aut provocandi, verborum, in medium proferre possem, ac forte etiam deberem; Verum cum ea, tanquam nota supponam, relictis his ad Homonymiam seu variam Vocis acceptionem statim me accingo.

II. Diversimode autem pro diversa obsectorum ratione vocabulum Provocationis accipi consuevit.

I. Enim Provocare dicitur is, qui ad pocula voce stimulat alterum, dum in Conventibus hinc inde pro aliis publica Vota suscipientes largos Bacchi sumunt haustus. Quo de donorum DEI abusu, ac more jam olim quidem recepto (ceu prolixè atque erudite ostendit JCtus *Philologia* Conrad. Rittersh. l. IV. Sacrar. Lection. c. 6.) sed a quam plurimis Ecclesie antistitibus aliisque viris gravibus reprehenso, ac summopere improbato prohibitoque, in tantum, ut in valescenti isti malo Imperatoris quoque edictis repagula ponenda fuerint, non est hujus locis agere prolixius. Sufficiat unicum in hanc rem adduxisse locum, sed eum egregium. Suppeditat nobis illum S. Ambrosius, Ecclesie Doctor insignis, & quem teste Sozomeno Imperator Theodosius solum Episcopi nomine dignum judicabat

bat. Ita vero laudatus Pater lib. de Helia & Jejun. c. 17. t. 4. *Quid autem, inquit, obtestationes bibentium loquar? quid memorem sacramenta, que violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquit, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O pia devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad DEUM pervenire judicant, sicut illi, qui calices ad sepulchra Martyrum deferunt, atq; illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum! qui ebrietatem sacrificium putant: qui existimant illos ebrietate placari, qui jejunio passiones sustinere didicerunt.*

2. *Provocare dicitur is, qui ad προμαχίαν sive duellam provocat alterum, de qua consuetudine, itidem severis prohibita legibus, hinc inde autores videri possunt. Cum primis e Theologis D. Bald. Cas. Consc. p. 380. D. Meisnerus de LL. p. 390. D. Glass. Exeges. Evang. Domin. part. 3. p. 1179. 1177. D. Keslerus Theolog. Cas. c. 49. quibus adjungi possunt Camerarius hor. succif. part. 2. p. 75. Bodinus de Rep. l. 4. C. ult. p. 747. ac Præcipue Augustus Vischerus in elaboratissimo tractatu de duello.*

3. *Denique provocare in Judiciis Civilibus dicitur is, qui dum ab inferiore sive intermedio quodam magistratu, vel potentiore Reipublicæ membro sese læsum existimat, ad Tribunal aliud superius appellat; diciturque talis actus apud JCtos Appellatio, quæ tamen hic a me non attenditur. Convenientiam autem aliquam cum tali provocatione habet actio illa, qua nonnulli, dum vel nullus in his terris, ad quem provocare possint superest Judex, vel si quam maxime adsit, de ejus tamen aequitate desperant, aut*

adire eum nequeunt, litigia vel causas suas ex hoc ad alterum seculum propagando, collitigatores suos, vel eos, a quibus prae-ter jus & fas affligi se existimant, ad tribunal Christi, quod Vallem vocant Josaphat, citant. Et de hac provocatione mihi in subsequentiis erit agendum.

III. Delineari autem talis provocatio potest subsequenter in modum: *Provocatio in Vallem Josaphat est actio quaedam, qua quis, cui vel honores, vel opes, vel vita denique ipsa Judicis sententia adimitur, aut cui alias cum alio contentio est, dum contra opprimentium potentiam nullam restare sibi amplius opem videt, adversam suam partem, vel Judices etiam ipsos, ad summi Judicium Judicis, hoc est, supremi Numinis Judicium provocat, vel citat, & quidem addito certo comparendi tempore.*

IV. Soletque haec actio *Provocatio in Vallem Josaphat* indigitari.

V. Videtur autem haec appellatio ortum suum traxisse ex eo, quod quidam persuasum sibi habuerunt, extremum iudicium in valle Josaphat celebratum iri, moti cum primis eo, quod apud Joel. C. III. v. 2. & 1. dicatur, *DEUM congregaturum esse coram se omnes gentes in vallem Josaphat, easque ibi iudicaturum.* Suntque in hac sententia praeter Iudaeos, de quibus Galatinus l. 8. de Arcan. C. 15. videri potest, Pontificii plurimi, vid. Gregor. de Valent. T. 4. Comm. in Thom. p. 2320. Thomas de Aquino in Cap. XXIV. Mart. Iosephus a Costal. 4. de Temp. noviss. Ribera, Cornel. a Lapide, Christophorus a Castro, Iacob Tiranus in c. 3. Joel. Iac Bayus l. 1. Instit. Catol. c. 255. Sotus ac Paludanus in 4. sent. dist. 47. & 48. Cornel. a Lapide in c. 21. Matth. p. 395. *Triumphans*, scribit, voluit, (*Christus*) *transire vallem Josaphat, ut inrueret, in eadem valle se in die*

die iudicii peractorum trementum omnium hominum iudicium: ac sibi fideles ac obedientes Cælo, infideles vero & inobedientes inferno adjudicaturum. Cum vero vallis Josaphat minime sit adeo ampla, ut omnes omnino homines capere possit, adjungit illud Cornel. a Lapide in I. Theff. IV. p. 692. *campos ac loca vicina, quæ, inquit, longissime pro-
tendi, ac adeo, si opus sit, complanari possint.* Verum, quid huic sententiæ tribuendum sit, pridem a nostratibus est ostensum. Accipi nempe apud Joelem d. I. (ubi obiter notandum, quod qui apud Vulgatum & LXX. v. 2. est, in textu Ebræo sit v. 7. & qui apud illos est v. 12. in textu authentico sit v. 17.) vocabulum יהושפט debet, *non ut nomen proprium*, (prout quidem LXX. acceperunt, quos secuti sunt quoque Vulgatus, Syrus, & Arabs, quin ipse etiam Beat. noster Lutherus) *verum ut appellativum.* Iosaphat enim idem est quod *Domini Iudicium.* Et hanc expositionem pridem amplexi quoque sunt Hieronymus, Albertus Kupertus, Haymo, Arias, Clarius, teste ipse Jesuita Tirino in C. 3. Joel: Et ita quoque hodiernum sentiunt Dd. Ecclesiæ nostræ communiter. Videantur B. Dn. D. Gerh. Tom. IIX. Loco de Extrem. Judic. cap. 7. §. 75. p. 61. D. Tarn. Comm. in Joel. p. 100. B. D. Harbartus Dispp. Theol. Tom. sing. p. 977. B. Dn. D. Calixt. lib. de supr. Iudicio p. 101. B. D. Himmelius in Joelem q. 302. Plurimum Reverend. atque Excellent. Dn. D. Musæus, Præceptor meus multis nominibus colendus in tractat. de Novissimis. Loquitur enim Propheta Joel phasibus Veteris Testamenti de rebus in novissimo die eventuris, & quemadmodum d. I. per *digressionem populi in varias nationes*, ουνοδοχιμῶς intelligit quasvis persecuciones, ita quoque μυσιμῶς per *vallem Iosaphat* intelligit locum quem Dominus ad iudicium elegerit

gerit, quicumque tamen is sit futurus. Estque tanta veritatis vis, ut nec Jesuita Barradius sententiam nostram improbare possit, diserte quippe scribens. T. 3. Concord. Evan. l. 9. cap. 18. *posse nomen Josaphat dicto loco significare quemcumque locum, in quo Dominus judicabit.* Eadem & veterum Eccl. Dd. fuit sententia, ceu patet ex Cyrillo, cujus verba hic referre omnino placuit. Ita vero ille Comm. in h. l. ὁ δὲ ἄλλο μὲν παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις σαδρὸς, καὶ γραῶδης, ὡς ἔσται μὲν καὶ ἔστι ἐν τῇ κοιλάδι τῆ Ἰωσαφάτ ἢ παρὰ Θεοῦ καὶ πάντων κριτὴς μὲν τὸ ἀναβιβῶναι τὸς κερῆς οἰοῦνται ὅτι τῶν εἰς αὐτὰς ἕνεκα γεγονότων δασιύσει λόγος, οἱ καὶ πᾶσαν τὴν ἰσθμὸν ἑρανόθεν ἀμοιρήσει δ' ἂν ἕδαμῶς τῆ γυνάδα μὲν πρέπειν τὸ ἐκθύμημα αὐτοῖς, τὸν θεοπνεύστου γραφῆς τὰ τῆς γραφτικῆς ἐκπεπράνθαι λεγόμενος, ἢ ὅτι δικὰς ἐξήλωται παρὰ Θεοῦ τὰ περίοικα πῶν ἐθνῶν, τῆ ποικίλου γεγονότ' ἐν τῇ κοιλάδι τῆ Ἰωσαφάτ : Chaldaeus Interpres vertit : פלוג רונא i. e. *Vallis divisionis iudicii*: minime vero *vallis iudicii Domini*, ceu Jesuita Tirinus Chaldaeum reddere scribit. Quomodo vero Chaldaei quoque interpretis sententia commoda sit, prolixè ostendit B. D. Gerhardus l. cit. qui potest evolvi. Patet igitur hinc, quod lubricum admodum fundamentum sit, quo nititur illorum Provocatio, qui ad iudicium DEI in valle Josaphat adversarios suos citant, eo, quod persuasum sibi habent, sicut extremum iudicium in valle Josaphat sit celebrandum, ita & ipsorum causam, peremptorie citatis illuc eorum adversariis, ibi DEUM discussurum.

VI. Tria autem potissimum circa actum hunc, provocationis in questionem vocari possunt.

1. *An ita provocare sit licitum, sive An quis salva conscientia alterum, si vel maxime etiam injustissima ab eo patiatur, in vallem, quam dicunt Josaphat, sive ad supremum Christi tribunal, citare possit?*

2. *Quid*

2. Quid conscientie Judais in tali Casu conveniat, siue quid ipsi, si ita provocetur, sit agendum per Conscientiam?

3. Etiam quæri cœptum est, quid de illorum salute, tum qui ita provocantes, tum eorum quoque, qui ita provocati moriuntur, sit statuendum?

VII. Et primam quidem quod concernit quæstionem; Del Rio in Disquis. Mag. Dom. 2. l. 4. c. 4. Sect. 4. Quæstionis statum potissimum in hoc versari putat: Quæri nimirum: *An talis provocatio, maxime si per injuriam oppressus hoc faciat, vel ut innocentia ejus appareat, nec infamia gravetur familia, aut ut mundus tali Tyranno liberetur, ut Tyrannus respiscat, & percussus terrore pœniteat, designatque ab oppressione & concussione miserorum, sit licita?* Et formato hoc modo quæstionis cardine, tuc-tur affirmativam.

VIII. Eodem & alii nonnulli inclinare videntur, adducti præterea varietate Exemplorum, quæ semper fere eventum quendam singularem individui instar habere comitis.

IX. Citant autem pro stabilienda ista sententia Exemplasacra partim, partim *prophana*. Et e sacris divinis-que literis sententia loca (1.) Gen. IV, 10. Ubi DEUS ad Cainum: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra;* quo loci & hoc simul urgent, ex textu evinci posse; *In sanguine justis hujus Abelis provocasse taliter omnes eos, quos ex eo, nisi per causas secundas impedirentur, Dominus præviderat oriundos, cum in textu sit* אֲבֵנָם in plurali, ita, censet Weidnerus in loc. fid. præc. p. 65. nec non Alphonsus Tostatus de Madrigal. Hispanus Comm. in h. l. & huc quoque ipse Chald. Interpres respexisse videtur.

B

(2.) Gen.

(2.) Gen. XVI. 5. quo loco disertè Sara & Abrahamum : *Judicet Dominus inter me & te.* Afferunt (3.) Genes. XXXI. 53. Ubi Laban ad Jacobum : *DEUS Abraham & DEUS Nabor judicent inter nos, Deus Patris eorum &c.* Sic (4.) & Davidem provocasse, patere putant ex I. Sam. XXIV, v. 17. quando ipse Sauli, præter jus & fas eum persequenti : *Judicet, dicebat, Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus de te.* (5.) & quidem cum primis ita causam suam ex hoc ad alterum seculum transtulisse existimant jamjam moriturum Zachariam, cum iniquissima a Rege, quippe, cujus jussu innocentissimus interficiebatur, pateretur, hisce verbis : *Videat Dominus & requirat,* II. Paral. XXIV. v. 22. Probationis vero suæ robur ut ostendant, monent, attendi hic debere ad eventum singularem, de quo subsequenti, quæ vers. 23. ita habent : *Cum evolutus esset annus, ascendit contra eum (Joasum scilicet, cujus mandato lapidatus fuerat Zacharias) Exercitus Syria &c. & cum Joas fecerunt judicia. Ignominiosa, addunt, admodum judicii iniquissimi in Zachariam.* In specie vero de judicio divino adversus Regem notari volunt vers. 25. ubi dicitur : *Surrexerunt contra eum servi sui in ultionem sanguinis Zachariae filii Jojada Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est.* Ex eo quoque vindictam divinam elucescere, quod non sepultus fuerit in sepulchris Regum v. 15. Præter hæc loca e libris Vet. Test. authenticis deprompta arcessunt I. Populi Jud. Verba, quæ Judith. VII. v. 13. sic habent : *Judicet DEUS inter nos & vos, quoniam fecistis in nobis injustitiam magnam, &c.* 2. e libro Machabæorum sive Hasmanzororum secundo c. 7. Exemplum duorum fratrum, de septem illis, a belua illa Antiocho mactatis, quo-

quorum quintus; Tu autem, acclamabat Tyranno, *sustine*
 & vide magnanimitatem eius (DEI) potestatem, quomodo te & se-
 mentium torquebit: Sextus vero, itidem Martyrii Candi-
 datus: Non erres frustra, dicebat ad eundem, nos enim
 propter nosmet ipsos haec patimur peccantes in nostrum
 DEUM &c. Tu autem ne existimes impunitum fore contra
 DEUM pugnare conatus. Et praeterea ex Nov. Test. Verba
 illa Apostoli 2. Tim. IV, 15. Reddat illi, (Alexandro arario)
 Dominus secundum opera sua. Addit Del-Rio: Malum ma-
 gnum pro multis malis, qua illi ostenderat. Sic ex Apoc. VI.
 10. constare quoque putant, ad hunc usque diem omnes
 animas interfectorum martyrum propter verbum DEI
 & propter testimonium quod habebant, vindictam pete-
 re, ut quas clamantes audivit Theologus magna voce;
 Usque quo Domine, qui sanctus & verax es, non iudicas &
 vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra.
 Quid quod ipsius denique Christi Exemplum favere huic
 sententiae nonnullis videatur, quippe qui patiens omnia,
 iradebat iudicanti iuste, 1. Petr. II, 13. Atque huc etiam
 refert Cornel. a Lapide Comm. in c. 19. Gen. oraculum illud
 Christi, Ioh. II. v. 50.

Prophana quod autem attinet *Exempla*, Citantur ea
 passim plurima, sed vere tamen eadem, apud autores plu-
 rimos; utpote Camerar. hor. succif. part. 3. c. 38. pag. 130.
 Justum Lips. Mon. Polit. l. 2. c. 11. p. 21. Heroldum dissert.
 de Proy. ad Jud. DEI in Vall. Josaph. Del-Rio Disq. Mag.
 Tom. 2. l. 4. c. 1. Harsdörffer im Schaupl. Lust- und
 Lehrreicher Geschichte/ part. 3. & p. 251. It. part. 8. p. 255. 256.
 Weitzium in Orat. de hoc themate, Gotæ Ao. 1651. habita.
 Corn. a Lapide Comment. in Pentat. p. 89. 90. Simon.

Majol. diar. Canic. Tom. 2. Coll. 2. fol. 523. Johan. Hering.
in pecul. discurs. de hoc themate & alios. Adducemus
ex laudatis autoribus pauca, non enim omnia recensere,
animus est, utpote qui non in Cathedra Historica, sed
Theologica versamur, & quidem ea potissimum, quæ in
statu Ecclesiastico acciderunt.

Numerantur autem inter Provocatos taliter
I. II, qui agitati stimulis conscientiaæ semetipsos
quasi provocarunt. Apponam hic saltem unam, Jacobum
nempe Fabrum Stapulensem, Theologum Sorbonicum
scriptis notissimum: Ad hunc misit die quadam Marga-
reta Valefia, Navarraorum Regina, Francisci Galliarum
Regis soror, & velle se prandere cum eo dixit; Convoca-
tis simul aliquot viris doctis, quorum confabulationibus
mire delectabatur. Inter prandendum autem coepit Fa-
ber vehementer contristari, & subinde lacrymari; Eorum
causam dicere cum rogaretur, accusareturque a Regina,
quod pransum apud se venisset, ut lata fieret, ipse vero
tristetur; tandem inquit; *Et qui possem, O Regina Serenissi-
ma, esse letus, aut alios exbilarare, omnium, quos terra susti-
net, sceleratissimus? Et quod tantum patrasti scelus, ait ista,
Jacobe, qui visus es ab ineunte ætate sanctissime vixisse?
Quomodo ego, inquiebat ille, ante summum Tribunal DEI
potero consistere, qui sanctum Filii sui Evangelium pure &
sincere multos docui, qui doctrinam meam secuti mille tor-
menta & mortem ipsam constanter pertulerunt; Ego vero
male constans Doctor effugi, & cum tanta tamque provec-
tæ ætatis jam vixissem satis superque nec mortem nullam refor-
midare, imo percipuisse debuissim, clanculum me subduxi,
& DEI mei præceptum turpiter deserui. Ad quæ cum Regina,
ut*

ut erat eloquentissima, multa differuisset, rationibus & exemplis docuisset, multis bonis & sanctis viris idem obtigisse, neque desperandum de bonitate DEI & misericordia unquam, cumque hanc in sententiam, qui assidebant, plurima adderent, confortatus tandem dixit: *Ergo nihil restat, quam ut hinc ad DEUM migrem, neque ultra differendum sentio, quia a DEO meo vocari intelligo.* Conditoque mox testamento: *Opus habeo, dixit, O Regina, quiete aliqua, estote lati interim & valete.* Et cum dicto in lectulum proximum declinavit, & cum detineri illum somno putarent, jam ecce! Parca vivorum numero expunctum mortuis adscripserat. Hubert. Thom. Leod. Joh. Gualt. Chron. Polit. part. 1. p. 1332.

II. *Qui provocarunt alios, & quidem*
 I. *Ut amicos,* Exemplum hujusmodi refertur de Johanne Corvino, fulminatore belli isto pulloque Martis, qui Turcarum terror & malleus quasi dicitur ab aliis. Hic enim cum longo intolerabilique belli labore fatigatus, in altuantissimam incideret febrem, eique Johannes Capistranus adesset, nullaque arte medica febris remitteret, sed potius medicorum operam eluderet, cum cæteris valedixisset; *Tu quoque Capistrane, inquit, vale & quando sub eodem Imperatore meruimus, ad accipienda mecum stipendia properato.* Ille, Corvino defuncto in languorem subinde corporis incidit, quem ex illius lethi dolore contraxerat, elusisque medicorum adminiculis paucis post diebus naturæ debitum persolvit. Antonius Bonfinius rerum Ungaric. dec. 3. l. 8. *Ut iniquos Judices.* Horum in numero primus sit Robertus Lincolnensis, alias vocatus Capito. Hic &

enim cum nocentis Innocentii IV. avaritiam, fastum, tyrannidem, & alia ejus tetra vitia tam viva voce quam scriptis improbareret, & reprehenderet; non solum ab eo excommunicatus, sed citatus insuper ad curiam injuste, damnatus est. Quod cum videret, nec locus ullus vel ulteriori appellationi, vel etiam gratiæ Pontificiæ relinqueretur, ad Judicem summum provocavit. Eo autem occiso, horribilis vox in curia Papa audita est hoc modo; *Veni miser in Judicium DEI*, quam mira subsequatur catastrophe. Subsequenti namque die Papa in lecto exanimis lividis plagis pertuso corpore jacuit, ac si fuste percussus esset, referunt Balæus in Vit. Pontif. p. 301. 302. Camerarius hor. succif. part. 3. p. 151. In contrarium tamen hic abit Del-Rio, sic enim de hoc: *Consentiunt hic Matthæus Parisius, Johannes Buriensis & alii scriptores, quorum hoc commentum puto ab hereticis vel schismaticis eorum opinionibus insertum. Nam Neapoli hunc Innocentium in expeditione contra Manfredum mortuum scribit Nauclerus parum Pontificibus addictus, Chron. fol. 2 gen. 42. & non meminit talis citationis, &c.* Vid. ipse in disp. Mag. Tom. 2. superius cit. loc. sed hoc historice discussioni relinquo, cum non sit hujus loci. Non absimilis exitus quoque *Clementem V. Pontificem Maximum* mansit, (haud dubie Jesuita Corn. a Lapide lapsus memoria est, dum comm. in c. IX. Gen. Clem. Sexto hoc tribuit) una cum Philippo Calliarum Rege, cognomento *Pulchro*. Impetraverat etenim hic a Clemente in Concilio Viennensi Anno 1312. (alii 1314.) ut ordo Templariorum, (alias diu florens & Christianis utilis, ipsi autem ob potentiam aliisque de causis maxime invidius redditus) postquam omnes, ordini

illi

illi

illi



illi adscripti, sine discrimine hæreseos, aversa ac non
 nominanda libidinis, læsæ Majestatis & aliorum nefan-
 dorum scelerum falso accusati fuerant, condemnatus,
 neci ac laniensæ crudelissime destineretur (quo de facto
 legi possunt Johannes Wilanzus l. 8. c. 29. p. 640. histor.
 Florent. Acorius Institut. Moral. Tom. 1. l. 3. c. 6. p. 1290.
 Besold. de Regibus Hierosolym. p. 158. Bucholzerus in
 Ind. Chronol. ad annum Christi 1312. p. 409. Petavius in
 Rat. Temp. l. 9. cap. 4. p. 530. Johan. Mariana Tom. 2.
 l. 15. c. 14. p. 20. 21. Camerarius l. 1. c. 83. p. 389. Refert
 Linnaeus in not. ad cap. 2. l. 6. Jur. Publ. p. 830. dixisse Pa-
 pam; *Si ordo Templariorum non potest destrui per viam
 justitiæ, destruat per viam experientia, ne scandalizetur
 charus filius noster Rex Francia.*) Factum hinc ut non Rex
 tantum, cui damnationes illæ admodum erant proficiæ,
 quippe quibus Templariorum ad ipsum devolutis & con-
 fiscatis, sed & Pontifex, a plurimis eorum ad divinum tri-
 bunal citatus fuerit. Et his unus, Neapolitanus eques,
 in urbe Burdegalia ad ignem & flammam jamjam adhiben-
 dus, conspectis in fenestra Clemente & Philippo, altam
 ad ipsos hanc vocem sustulit: *Sevissime Clemens Tyranne,
 postquam inter mortales nullus jam, ad quem appellem, su-
 perest locus, pro gravi morte quæ per tuam injuriam occun-
 do, ad judicem Jesum Christum meum appello Redempto-
 rem, ante cujus Tribunal te voco, una cum Philippo isto,
 ut intra annum ibi compareatis, ubi causam exponam meam,
 & justissimo probabo judici.* Neque vana fuit hæc appel-
 latio, nam intra tempus annum, uno scilicet eodemque
 anno 1312. (vel ut malunt alii 1314.) tam Papa quam Rex
 obierunt; Clemens 20. Aprilis; Philippus 29. Novembr
 Meie.

Meierus l. 2. Annalium & lib. 17. Chron. Christianus Mas-
 faus & Onuphrius Panvinus in Epit. de Rom. Pontifici-
 bus. Consentiant Scip. Aurel. l. 4. c. 26. de rebus gest. Reg.
 Gall. p. 316. Idem recitant Joh. Bapt. Fulgosius l. 1. Exempl.
 c. 6. p. 46. Carolus von Hagen Jur. Publ. l. 1. cap. 4. p. 103.
 Marc. Zucrius Boxhornius histor. universal. p. 824. Wol-
 fuislection. memorabil. & recondit. Centenario 12. p. 331.
 332. Magdeburg. Centur. XII. c. 6. p. 937. Cæterum Cle-
 mentem hunc diversimode citatum in jus hoc ambulasse
 referunt. Nam & Gualtherus Burgensis, vir doctrina &
 sanctitate clarus, jam ante per injuriam pulsus Episcopa-
 tu Pictav. ab inclemente hoc Clemente, quamdiu vixit
 patienter dedecus pertrulit, moriens sepulchro jussit in-
 scribi (idque, ut Del-Rio & Drexelius opinantur, ad ex-
 emplum aliorum) *Ad justum DEI Judicium appello*. Quod
 elogium Clementem quoque legisse, & injuriæ, quam
 tum Templariis, tum huic intulerat, memoria expavisse
 & mortuum esse, memorat Raphael Volater. Anthropol.
 l. 21. Sed & hoc exemplum Del-Rio, credo quod macu-
 lam erroris Pontificiæ sanctitati, cui jurato addictus est,
 inurat, fabulosum putat loco allegato supra: verum absque
 hæsitacione admittit Jesuita famosissimus Corn. a Lapide
 Comment. in Jerem. c. 17. p. 677. a.

3. Pontifices provocatos ordine non indecoro Car-
 dinales excipiunt, dealbati isti parietes, quos ^{simpliciter}
 ita provocatos fuisse, dilucida nonnullorum exempla te-
 stantur satis. Sic refertur in Veteri Chronico Mogunti-
 nensi Conradi Episcopi, de duobus Cardinalibus, qui a
 Papa judices constituti & pecuniâ corrupti Henricum
 olim Episcopum Moguntinum (secundum alios Wor-
 mati-

matiensem) virum laudabilem ab Episcopatu Anno 1106.
 (alii 1105 alii 1104.) amoverunt, quod propterea tam illi,
 quam Moguntini cives a DEO ultionum graviter puniti
 fuerint, *Rem*, inquit ille, *refero fratres, omnibus illius se-*
culi notissimam: Venerabilis vir Henricus, tam manifesta
perveritate turbatus, ipsos perverfos Cardinales alloquitur
in hunc modum: Si ad sedem Apostolicam appellarem con-
tra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil
amplius tentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor cor-
poris, amissio rerum, afflictio spiritus, evisceratio mentis,
& evacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Jesum
Christum, tanquam judicem justissimum, Vos cito ad ejus
Tribunal, ibi coram summo iudice me responsurum ex-
hibeo. Non enim iuste, nec secundum DEUM, sed
mercede corrupti, sicut placuit, iudicastis: At illi dixe-
runt: Cum tu præcesseris, nos sequimur. Hi autem ri-
dentibus & deridentibus dixerunt. Post annum fere & dimi-
dium, venerabilis Henricus Præsul defunctus, DEO, ad quem
appellaverat, totum processum lacrymabiliter assignavit.
Mors ejus pervenit etiam ad aures dictorum Cardinalium,
qui ludentes invicem dixerunt: Ecce præcessit, suo tempo-
re nos sequemur. Et ecce transit tempus breve & ambo
uno die moriuntur. Nam unus sedens in sede natura, ut
purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam eiecit, &
animam miserabiliter exhalavit. Alius manuum suarum
digitos articulatim obmordens, & ore exspuens, quasi se-
ipsum devorans expiravit. O DEUS ultionum, justum ex-
erces iudicium! Audita hæc sunt in terra nostra, nec a quo-
quam aliud dicebatur, quam Benedictus Dominus, qui venera-
bilis Henrici injuriam iuste vindicavit. O Cardinales! Car-
 C
 dina-

nales! pacem de terra accepistis, & ut homines Moguntia seipos invicem interficiant, vos fecistis. Quodcumque mali provenit, quacumque fuerint homicidia perpetrata, vestra est iniquitas operata, ut veniat super vos omnis sanguis qui effusus est, & deinceps effundetur. Hæc auctor dicti Chronici, ex quo ea habent Bembellona in tempestiv. suscitab. pro princ. p. 2. c. 1. Majol. tom. 2. diæ. Canicul. Colloq. 2. fol. 524. Camerar. hor. suc. part. 3. c. 38. p. 131. Greg. Rich- terus append. Axiom. hist. reg. 299. p. 508. & 509. Just. Lips. 1. 2. monit. pol. c. 11. Georg Strignitius in Postill. Evang. Super. Domin. 25. post. Trin. p. 100. Sebast. Franc. in Chron. Germ. Sed lætius & integre hanc historiam recenset Jac. Spiegelius in Schol. ad Gunth. Ligurini l. 1. pag. 286. 287. 288. In eandem rem quædam etiam subministrat Thrasibulus Lepta h. est. Conradus Dinnerus JC. in histor. expos. de ortu & rebus gestis Baron. a Seinsheim. l. 1. fol. 34. Eiusdem Historiæ & Corn. a Lapide meminit, autoremque ejus tradit Nauclerum: sed qua est erga Patres illos purpuratos veneratione dissimulat, quod injusti isti iudices Cardina- les fuerint.

4. Huc non incommode referri poterit ex Buchan. rerum Scot. l. 15. vaticinium illud Georgii Sophocardii paulo ante supplicium. Id ipsum enim cum Cardinalis ex arce munitissima sua Fani Andreæ, cum suo grege ex fenestris & propugnaculis, tapetibus, stragulis sericis, & pulvi- nis exornatis, magna cum pompa & frequentia armato- rum, machinis æneis ad ostentationem potentiæ per to- tam arcem locis idoneis dispositis, lætus conspiceret, & in censo rogo præfectus arcis, (qui tam prope adstabat, ut flammæ afflatu ambureretur) Sophocardium ad palmum funi-

funibus alligatum, hortatus esset, ut bono animo esset, ac delictorum veniam a DEO peteret. Cui ille: *Hæc quidem flamma corpori, inquit, attulit molestiam, animum vero non fregit. At qui nos ex editiori loco tam superbe despicit, intra paucos dies non minus ignominiose jacebit, quam nunc arroganter cubat.* Hæc locuto funis, circa fauces arctius adstrictus, vocem interclusit. Non multo post Cardinalis ob superbiam & alia vitia a nonnullis conjuratis, occupata arce interfectus est, & ejus cadaver exanimatum, concurrentibus ejus amicis ad obsidionem arcis, oculis omnium expositum est in illo ipso loco, unde ipse non multo ante Georgii Sophocardi supplicium tam lætus spectaverat. *Nec subibat modo (pergit Buchananus d.l.) animos rerum humanarum inconstantia & inexpectatus eventus, sed multis occurrebat Georgii illa de illius morte prædictio, multaque alia, quæ sanctissimus vir ille, non nisi divino (ut credibile est) afflatu, ventura præmonuerat, ut brevi secutus exitus probavit.*

5. Sed a Cardinalibus ad Episcopos, de quorum uno, Burchardo nimirum Episcopi Halberstadiensi, Lambertus Schaffnaburgensis, egregius, ut illa tempora tulerunt, scriptor, tale quid memorat: Foverat is iniquam diu litem cum Abbate Herveldensi super decimis Saxonie, quas Episcopus Monachis ereptum, sibi vindicatum ibat, sed manu magis, quam jure. Abbas rem sæpius in judicium deduxit, sed surdis Tribunalibus narrabat fabulam: nec politicæ, nec sacre leges vim adversam perumpere valebant. Ita nec ratio, nec spes erat valenti adversario resistendi. Idcirco hic idem Abbas paucis ante mortem diebus Comitem Palatinum Fridericum ad se vocat, & extrema hæc mandata ferre Antistiti rogat: *Se*

quidem lite impari, lege meliorem cedere; atque etiam jam de vita decedere: sed DEUM judicem futurum, ad quem appellaret, huic vires ad tutandam equitatem non defuturas. Pararent igitur se ambo, ut causam intra paucos dies dicerent ad illud tribunal, ubi gratia & potentia spretis, sola imperaret justitia. illum ibi victurum, non qui plus posset, sed cujus causa equior esset. Sic Abbas obiit; nec eventus fefellit. Pauculi dies ab obitu Abbatis præterierunt, cum Antistes jam equum conscensurus, subito velut fulmine ictus corruit. Delatus ad cubiculum, decimas Hervedensi cœnobio quamprimum reddi, & omnem imposte- rum super ea re litem præscindi jussit. Cumque Magdeburgensis & Hildesheimensis Episcopi ad eum inviserent, grandi ejulatu fatebatur; Vocari se, prout Abbas prædixisset, imo jam abripi se ad divinum Tribunal, ibi judicandum. In his vocibus desit. Ut o Archibresbyter, quo potissimum impulsore in eam sententiam Antistes exarserat, horum malorum primus inventor, eodem anno morte subitanea sine sacris omnibus extinctus, vel a Diabolo (ut vulgior ferebat fama) suffocatus est. Lambertus Schaffnaburgensis in suis Annalibus, cum Abb. Urspergensis & Rheginone Argentorati editus p. 466. Baron. tom. II. Anno 1059. n. 81. & 82. Lips. l. 2. Mon. Pol. c. 11. Matth. Steph. l. 2. de Jurisd. part. 1. c. 1. membr. 2. n. 190. Aventin. l. 4. Anal. Bajor. P. Greg. de Appel. l. 3. c. 7.

6. Huic Cametonum addere est animus, Episcopum Glascuæ; quippe qui in suæ ditionis (quæ ampla factis erat) agricolas multa crudelitatis & avaritiæ exempla ipse ediderat: multa per eos, quorum in manu summa rerum erat, prodenda curaverat, ut dominis iniquo ju-
dicio

dicio circumventis, bona ad eum redirent, omniumque quæ populariter fiebant, malorum aut autor, aut fautor credebatur. Ejus viri dignum vita nefarie acta fuisse tradunt exitum. Pridie natalem Christi cum in villa quadam sua, ad septem millia passuum a Glascua distante, quiesceret, vocem ingentem audire visus, *se ad Tribunal Christi, ut causam diceret, vocantem.* Ex ea repentina perturbatione somno excussus famulos excitat, illatoque lumine assidere jubet. Ipse libro in manum sumpto, cum legere incepisset, eadem iterum vox omnium animos stupore defixit. Deinde cum longe vehementius atque horribilius insonisset, Episcopus ingenti gemitu edito, lingua exerta mortuus in lecto est inventus Buch. I. II. rer. Scot. p. 380.

7. Plura quamvis exempla de taliter provocatis personis Ecclesiasticis apponere possem, supersedebo tamen, dummodo unicum hoc de Monacho quodam adjecero. Anno millesimo tertio, decimus in Paderbornensi Ecclesia Episcopus Menvvercus Cœnobii Corbejensis disciplinam prope intermortuam restaurare instituit. Adfuit igitur reformator, initium facturus in corrigendis moribus. Sed acriter ei restitit Walo Abbas, disciplinam arctiorem neutiquam admissurus. Causa ad Imperatorem delata, id denique confectum est, ut Abbas officio motus sit. Quapropter Episcopus instituti sui tenax ad laudabiliorem vitæ rationem introducendam, denuo se accingit, placuit vero a re divina in templo facienda ordiri. Sed ejus Cœnobii Monachus Boso nomine, loci sacrista vestes sacras negavit, & ab ara projecit, quæcunque Antistes attulerat; Iterum iterumque mo-



nitus in contumacia perseveravit. Episcopus injuria tam grandi motus Monachum illum humana Jura calcantem, ad judicium divinum postulans; *Reddes*, inquit, *altissimo facti rationem*. Hæc Monachus non quidquam pensi habens irrisit Episcopum. Sed certe fallax non fuit præfulis prædictio, nam eadem hora, qua Præful e vivis abiit, Boso Monachus, dum ei barba raderetur, sub tonsoris manu subita morte concidit. Kranzius l. 4. Mereopolis c. 4. in medio. Gotscalkius serm. 16. lit. l. parte æstivali.

X. Atque hæc fere sunt, quæ pro affirmante sententia adduci solent, nisi quod plura ab aliis exempla profana ex historia cumulentur. Quæritur igitur hic 1. an ex iis, quæ hæctenus allata sunt, probari possit, *tales provocationes ad supremum Christi* (vel quod perinde est, *Dei*) *tribunal licitas esse*, & quidem certo constituto comparendi tempore? Jcti hic ante omnia distinguendum esse censent inter *Causas Civiles*, & *Criminales*: In illis quidem, fere absolute rejiciunt, imo & arbitraria poena in eos, qui tali provocatione utuntur, vel abutuntur, animadvertendum censent; in hisce vero posse quadantenus concedi existimant: prout videre est apud Magnif. Dn. Richter. in Regg. Juris, & quidem Reg. 2. §. 20. Idemque liquet ex Parthenio litigioso Jurg. Val. Wintheri Jcti l. i. c. i. n. 38. nec ex Martin. Rumelin. part. 2. dissert. ad Auream Bullam Caroli IV. Imper. dissert. 2. Coroll. 2. quorum posterior, posteaquam taxarat consuetudinem hanc, diserte tandem subjungit: *Quod tamen non ita accipi velim, quasi nullo omnino casu talis ad Tribunal DEI Appellatio licita esset. Quid enim in causis criminalibus? quid inquam, si iudex vel ex errore, aut falso testimonio persuasus ad ulti-*

ma

*num supplicium condemnet etiam innocentissimum? Quem
alium hic miser innocentia testem, præterquam justissimum
& omnium rerumagnarum Judicem DEUM appellaret.*

XI. Pontificii quoque Dd. certis determinatam conditionibus eam concedi posse, sunt persuasi, prout hoc ipsum ex ante citato statu quæstionis Del-Rii videre est. Quemadmodum & ille præter enumeratas ibidem conditiones, tum quoad citantes & quiritantes, tum quoad citatos certas addit Regulas.

XII. Sed ut minime mihi tantum sumam, ut in difficillima hac causa sententiam ferre sustineam (præsertim cum nondum ullum e Theologis orthodoxis videre mihi contigerit, qui quæstionem hanc de provocatione peremptoria ad DEI Tribunal in specie tractarit:) existimo tamen, (quod salvo aliorum iudicio dixerim,) quod ea, quæ hæctenus pro confirmatione sententiæ affirmati- væ fuere adducta, & quæstionis statu ita, ceu Del-Rio si- stit, formato, non satis evincant, conscientiæ sufficienter consuli, si quis ab aliquo læsus vel summa etiam injuria- affectus citare adversarium suum aut injustum iudicem, ad summum Christi tribunal in vallem Josaphat velit; & quidem certo comparandi tempore constituto. Multo vero minus prævæ illorum consuetudini exempla illa patrocinarî puto, qui levissime etiam læsi, vel ex pravo quodam more, vel saltim ut poenam promeritam effugiant, aut hominibus innocentes videantur, cum ipsi tamen omnino tributî sceleris adfines sint, ad horrendum illud su- premi Numinis tribunal provocant.

XIII. Quod igitur Exempla e Scripturis Sacris, & Ve- teris quidem Testamenti, petita attinet, respondeo ad ea,
Pri-

Primo in genere 1. Non distinguendo quidem cum Phoinianis quoad vindictæ cupiditatem inter Vetus ac Nov. Testamentum, quasi nempe in Veteri Testamento vindicta licita fuerit, in Novo non item, novi enim, ac satis etiam ex Lev. XIX. 18. Prov. XXIV. 29. apparet, quod non minus in V. quam in N. T. privatae vindictæ cupiditas fuerit prohibita: quemadmodum publica, quæ a Magistratu legitime exercetur vindicta, in N. Testam. æque ac in V. Test. concessa? (id quod prolixè probatum a Doctoribus Theologis, inprimis B. Dn. D. Chemnitio in LL. part. 2. de vindicta p. 116. ac Harm. Evangel. C. LI. pag. 452. nec non B. Gerharo Loc. de Evang. th. 77. p. 159.) sed urgendo hic communem illam Theologorum Regulam, *quod in civitate D E I non exemplis, sed legibus vivendum sit.* Quod igitur immortalis memoriæ Theologus B. Dn. D. Gerhard. alibi de exemplis sanctorum, qui officiosè vel jocosè mentiti sunt, pronunciat, quod nempe *nec temere damnanda, nec temere imitanda sint.* Idem & de istorum nonnullis dicendum videtur; præprimis cum certum sit, eorum quosdam, affectuum vehementia abreptos, in talem provocationem erupisse, alios vero non amore vindictæ, sed zelo Justitiæ talia verba protulisse; quæ exinde quoque non tam provocationes vel imprecationes dicenda sint, quam prophetiæ prædictiones. 2. Negando, quod ullo ex allegatis locis talis peremptoria, ut ita loquar (hoc est, qua vel Judici vel adversario certum coram D E I tribunali comparandi tempus constituitur,) citatio probari possit, cum nullibi præfinitum iudicio diem legamus. Id quod ab illorum quibusdam fit, de quibus jam sermo nobis est, quemadmodum & exempla e secularibus historicis deprom-

prompta tale quid interdum factum ostendunt. Si vero non adprobantur preces, quibus modus ac tempus juvandi DEO præscribitur: quanto minus approbanda videtur talis provocatio, qua supremo Judici dies præfigitur exercendi iudicii.

XIV. Deinde in specie r. ad Dictum Gen. IV. 10. Ubi summa Majestas ad fratricidam: *Vox*, inquit, *sanguinum fratris tui clamat ad me de terra?* respondeo. Licet nonnulli existiment, id ibi insinuari, quod clamor, quem edidit Abel, cum a fratre interficeretur, post mortem adhuc sonuerit in auribus DEI, quodque Abel vindictam jam jam moriturus a DEO petierit: Alii tamen putant, quod his verbis saltem atrocitas homicidii exprimatur, quasi nempe singulæ guttæ sanguinis habeant linguas & vindictam exposcant. Significatur igitur, quod tam atrox facinus Caini fuerit, ut, si vel maxime nemo hominum illud viderit, imo & Abel ipse patienti animo summam illam injuriam sustinuerit, divina tamen justitia ultro ultionem ab interfectore sumptura sit. Cæterum Prosopopœiam hic loci agnoscunt interpretes plerique, uti ipse B. Lutherus, item BB. Dd. Hunnius, Gerhardus, Rungius, Gesnerus in hunc l. Glassius Rhetor. S. p. 194. Posito vero, quod ipse Abel jam jam moriturus ad DEUM clamaverit, & vindictam petierit, non tamen sequitur, quod exemplum hoc cuilibet imitari concessum sit: siquidem de Abele idem forte, quod de Davide ac Paulo, hostibus Ecclesiæ, imprecantibus, B. D. Balduinus l. 2. Cas. Consc. c. 7. cas. 8. p. 241. pronunciat, dici possit, quod nempe illius clamor potius *prophetia* fuerit, quid impio fratricidæ eventurum sit, quam preces, quid si ipsi fieri voluerit.

D

XV. Quod

XV. Quod vero II. locum Gen. XVI. 5. attinet; notum quidem de Sara est, quod ipsa exemplum sexui foemineo ab Apostolo Petro I. Ep. III. 16. proponatur; Ast non existimo, quod in omnibus: sed quoad reverentiam ac obedientiam marito exhibitam, ceu ex contextu satis patet. Quod vero praesens factum, hoc est mariti provocationem ad Dei iudicium concernit, fatendum sane est, Saram, licet pientissimam alias matronam, humani quid passam esse, ut mollissime loquar. Non fugit equidem me, esse nonnullos, qui sibi persuadeant, quod licet phrasibus illa, qua Sara hic utitur, nempe *judicet Dominus inter me & inter te*, alias in Scripturis S. significet, *DEUS ultor existat ac puniat*, ceu videre ex Exodi 5. 21. ac Judic. 11. 27. est, hic tamen nihil aliud significet, quam *DEI iudicio & cura aequitatem causa mea committo*. (& ita Jesuita Bonfrenius h. l. exponit: atque sic etiam accipi videtur I. Sam. 24. 13. & 16.) Ast B. D. Schmuckio aliter videtur, qui disertè scribit, quod Sara Abrahamum (*id quod addit ipse profecto auditu fere horrendum & mirandum in Sara*) ad DEI iudicium citet, quo *DEUS inter eos iudicet, causam cognoscat, ac partem nocentem puniat*. B. Lutherus quidem itidem excusare Saram videtur, dum Comm. in Genesin pag. 184. declamationem istam domesticam, ut verbis utar Megalandri, *justam cum marito expostulationem vocat, nec enim nullam eam irascendi causam habuisse, expressisse banc illi vocem insignes injurias, quas norat, magnum esse peccatum*: At ipse ille stator veræ Religionis ac hæreticorum malleus de provocatione hac etiam affirmat, quod *durus profecto sermo fuerit, & deinceps pag. seq. 185. idem docet, quod Sara recte quidem queratur de injuria sua, & tamen*

¶ (27) ¶

patiatur humanum quid, quod innocentem maritum sic tra-
 het duriter, & invocet contra eum iudicium DEI. Ac ite-
 rum ibidem eleganter admodum verba illa Saræ vocat *Oe-*
conomicum paroxysmum. Sequuntur B. Lutheri non judi-
 cium solum, sed ipsa quoque verba Bb. Dd. Luc. Osiander
 ac Gesnerus. Qui ipse etiam B. D. Gesnerus Comm. in
 h. l. pag. 357. doctrinale ex Exemplo hoc depromit, quod
 nullum sit tam tranquillum etiam inter sanctos Conjugium
 quin Asmodeus aliquando rixas & jurgia concitet. Idem
 Theologus verba illa itidem vocat *dura & conjugali ama-*
re indigna; imo expresse affirmat, quod si rem recte esti-
 mare velimus, Sara DEI vindictam in suam perniciem in-
 vocet, cum causam iniquam habeat. B. D. Hunnius Qq. in
 Gen. t. 3. Op. pag. 1554. itidem docet, quod Sara injuste su-
 perbie Agar culpam in Abrahamum transtulerit, adeoque
 temerarie ad iudicium DEI provocarit. B. D. Rungius
 Comm. in eundem hunc locum pag. 469. verba illa Saræ
 refert inter rixas domesticas, ac vocat *ira vehementioris*
effectum, additque *Spiritum S. studiose monere, ne pii huic*
affectui indulgeant. Psalm. 4. 5. Eph. 4. 26. Imo idem B.
 D. Rungius in h. l. p. 467. factum illud Saræ vocat *peccatum,*
 idque longe maximum, cum fuerit abusus nominis divini &
 addit: *DEUM enim invocat testem & vindicem in mala*
causa, concepta ex meris suspicionibus contra maritum, at-
que ita precipiti iracundia, vel marito vel sibi dira impreca-
tur sine causa. Eadem quoque sententia D. Schmuckii
 aliorumque nostratium Dd. Theologorum de hoc facto
 est. Cum igitur Sara humani aliquid in facto præsentis pas-
 sa fuerit, atque factum ejus ad rixas referatur, quas Asmo-
 deus concitare solet, manifestum est, quod præsens Saræ

D 2. exem-



exemplum non patrocinetur provocationi ad iudicium
divinum peremptoria.

XVI. Porro quod 3. locum, Genes. nim. XXXI. 53.
spectat, pene miratio subit, qui Labanis, quippe hominis
gentilis exemplum, pro stabilienda illa ad Dei tribunal
provocatione urgere Christianus aliquis possit. Si enim
sanctorum exempla non semper actionum nostrarum
Regula constitui possunt, nisi mandatis divinis confor-
mia sint, quanto minus hominum gentilium; Quod ve-
ro Laban Idololatra tum fuerit, colligunt inter alia inter-
pretes exinde, *quod juraverit per Elobim Abrabe ac Nabor,*
per quos intellexerit Deos falsos & fictitios, quos illi, sicuti
& Pater eorum Thare in Ur Chaldæorum coluerunt, Jos.
XXIV. 2. Sed posthabitis hisce, id quod probari debeat,
tamen nondum confirmatur. Scilicet Labanum eo mo-
do, de quo nobis in præsens sermo est, provocasse, aliud
sane ipso contextu ostendente, quis dixerit. Scopum so-
des utriusque, Jacobi & Labanis, aspicias. Agunt autem
hic loci de pacto quodam seu foedere ineundo; quod dum
factum, Laban huic, qui violaverit pactum, vindictam
divinam imprecatur dicens: *DEUS Abraham & DEUS*
Nabor iudicet inter nos, hoc est, sit vindex perjurii. Unde
in subsequens etiam Jacob per timorem patris sui
Isaac juravit, se foedus initum servaturum esse inviola-
tum. Sed ubi hic provocatio ad tribunal in Vallem Jo-
saphat, & quidem peremptoria? Pactum insuper hic fuit
mutuum, conditiones utriusque partis consensu appro-
bata, ac juramento confirmata. Idem vero iudicium
quod paulo ante de facto Saræ prolatum, esto quoque IV.
de exemplo præfectorum populi Israelitici Exod. V. 21.

Ho-

Horum enim exemplum adeo non propositum ad imitationem nobis cōsendum puto, ut potius ex eo discere debeamus, non facile ad divinum iudicium esse provocandum: si quidem aures præbere gravissimis Theologis cupimus. Non possum, quin adscribam verba B. D. Rungii, eximii Scripturæ S. interpretis, quæ super hunc locum habet, ita vero illep. 217. *Non est temere implorandum, DEI iudicium, aut expetenda vindicta adversus proximum, cum id plerumque fiat velex affectu iracundia & cupiditate vindicta, vel ex levitate quadam, causa non satis cognita; quemadmodum Israelita provocantes ad DEI iudicium se ipsos onerant reatu iudicii divini, non Moysen & Aaronem: Maledicta enim, præter meritum illata, non sunt attendenda.* In eandem sententiam B. D. Schmuckius ad c. 16. Gen. p. 552. monet, quod non temere ad DEI iudicium appellare debeamus, sed illud timeamus, ac potius condonemus (proximo nos lædenti.)

XVII. Quod V. & VI. Exempla Davidis 1. Sam. XXIV. 16. ac Zachariæ, Filii Jojadæ 2. Chron. XXIV. 22. concernit, Respondeo, quod verba, quibus ipsi utuntur (& David quidem וַיִּהְיֶה יְהוָה לְרִיב וּשְׂפָט בֵּינִי וּבֵין יוֹרָם וְנָרְבָּה : וַיִּהְיֶה יְהוָה לְרִיב וּשְׂפָט בֵּינִי וּבֵין יוֹרָם וְנָרְבָּה : Et erit Dominus in iudicem, & iudicabit inter me, & inter te: & videbit & disceptabit litem meam, & vindicabit me de manu tua. Zachariæ vero וַיִּרְאֵהוּ יְהוָה וַיִּדְרֹשׁ וַיִּרְאֵהוּ videbit Dominus & requiret,) quam commodissime accipi possint tanquam prophetica prædictiones. Quemadmodum & B. Lutherus in loco posteriori recte vertit in futuro: *Videbit Dominus, & iudicabit.* Ac B. D. Osiander recte de eodem Zachariæ facto pronunciat, quod fuerit *Concio pœnitentiæ, non cupiditas vindictæ.*

Et Casparus Sanctius Comm. in I. Lib. Reg. pag. 430. *Non est, inquit, optantis ac imprecantis, sed predicentis futurum, ut Dominus DEUS judicet, & illatas Davidi injurias & vexationes ulciscatur, etiamsi David manus a cade & ultione contineat, ut sit sensus: nihil moliar hostiliter, at DEUS, sat scio, injuriarum mearum iudex & ultor exisset.* Conf. v. 7. cap. XXIV. 1. Sam. Quis vero nescit, multum interesse inter prophetica[m] iudicii divini predictionem, e Spiritu prophetico profectam, & inter peremptoriam adversarii ad DEI tribunal citationem. Audiamus hic augustissimum illum Episcopum Hipponensium Augustinum l. 16. contra Faustum Manichæum c. 22. t. VI. oper. *Maledicta*, scribit, cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto, sed de prescio spiritu denunciantis. Nam illa, que de malo voto sunt, prohibentur, cum dicitur: Benedicite, & nolite maledicere: Ha autem saepe inveniuntur in sermone sanctorum, sicut Apostolus Paulus, Alexander, inquit, ararius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera sua. Nec est, quod aliquis dicat, etiam eorum provocationes ita accipiendas esse, qui ad Tribunal DEI adversarios suos citant. Respondeo enim cum B. D. Balduino l. supra cit. *Exemplum Davidis aut Pauli (aut Zachariæ) non cui libet imitandum est propositum, cum spiritus ille discretionis & prophetia non sit datus omnibus.* Quibus prorsus conformiter B. D. Hutterus LL. Theol. p. 983. & 984. ubi inter alia: *Singulari zelo & spiritu Heroico pro adsertione iustitiae divine abrepti in huiusmodi orationes Propheta eruperunt &c. Qui Zelus, cum Prophetarum fuerit proprius, & usque adeo purus, & ab effectu carnali simpliciter segregatus, ac vix in pium quemque hodie cadat: certe has Prophe-*

tarum orationes, singulari aliquo zelo ferventes, non temere imitari licebit. Nec est, quod quis porro dicat, Zachariae provocationem ad iudicium DEI omnino peremptoriam fuisse, siquidem II. Paralipom. c. XXIV. post commemorationem citationis Zachariae factae, statim diserte subi-
ciatur: *Et fuit in revolutione anni, ascendit contra eum, &c.* Respondeo enim; factum hoc fuisse non ideo, quod Zacharias Regem, ejusque Proceres peremptoria citatione, ad DEI tribunal citavit, sed quoniam alias justissimo Numini non placuit, vindictam differre longius. Notum quidem alias est, quod *lento gradu ad vindictam divina procedat ira, tarditatemque supplicii gravitate* (intellige in defectu verae poenitentiae) *compenset*, ut loquitur homo gentilis (Val. Maximus l. I. R. M. C. 2.) ore Christiano. Sed tamen reperiuntur quoque Exempla, ubi DEUS sine mora iudicium suum exercet.

XIX. Devolvimur nunc ad Exempla e Libro Judith. ac Libris Macchabæorum petita: Sed ut jam nunc præteream, quod Apocryphi isti Libri sint, id quod præter nostrates prolixè cumprimis evicit e Calvinianis Joh. Rainoldus Angelus Theol. quondam in Acad. Oxoniensi Prof. in Censura libb. Apocryphorum tom. I. Liber præterea, Judith non veram Historiam tradere nonnullis credatur (quæ sententia & ipsi B. Luthero arridet:) sed scriptum esse *uv. Sueder*, omnino assero, nec illa peremptoriam citationem ad DEI tribunal probare. Cum nec yola nec vestigium constituti termini ibidem locorum appareat. Et dici insuper potest, quod Exemplum plebis in Bethulia, adversus Oziam ac Principes, ex diffidentia divini auxilii, insurgentis, minime approbandum sit; Illa vero bigæ
mar-

martyrum verba, vaticinii loco haberi possint; cum constet, quod pro Religione pia avitaeque innocentes passi illi sint.

XIX. Exempla Pauli 2. Tim. IV. quod concernit, non existimo, quod Apostolus Alexandrum peremptorie ad DEI tribunal provocaverit. Immo potius Prophetico spiritu Apostolus praedixit, quod ultionem divinam nequam ille homo haut effugiturus sit, cum praeviderit Paulus, Apostatam illum in impoenitentia sua perrecturum. Sane S. Augustinus, ut supra vidimus, non *imprecationem*, (vel peremptoriam ad DEI Tribunal citationem) sed *praedictionem* in verbis Apostoli agnoscit. Est quidem in Textu Originali *ἔσθ' ἰν' ἰμπερατῖν* in Imperativo, sed quis nescit, quod aliquando per Enallagen *Imperativus pro futuro indicativi*, in S. litt. adhibeatur, quemadmodum pluseulis exemplis hoc ipsum confirmat B. Dn. D. Glass. Gram. Sacr. p. 358. ist. Jesuita Alphonsus Salmeron. tom. 15. p. 616. Et in hac significatione praesenti quoque loco accipit, tum Theophylactus, tum antiquus Interpres Latinus, qui *Vulgatus* dici consuevit, vertens *reddet*. Atque hanc versionem secutus videtur Anshelmus Archi-Episcopus Cantuariensis, quando ita in hunc locum: *Nec*, scribit, *ait reddat*, ei Dominus secundum opera ejus, sed *reddet*, quod *verbum praeannunciantis*, non *imprecantis*, & diu ante hunc S. Augustinus, ita l. 1. de serm. Domini in Monte C. 21. scribens: *Non reddat*, sed *reddet* illi Dominus juxta opera ejus: *quod verbum praeannunciantis est*, non *imprecantis*. Sicut & de illa hypocrisi Judaeorum, de qua jam dictum est, cui everstionem imminere cernebat dixit: *Percutiet te DEUS paries de albace*. Eodemque modo explicat

Ju-

Justinus Martyr & Philosophus lib. Qq. & Responf. q. 125. Nisi quis dicere malit, quod legerit Vulgatus δάσα, quomodo nonnullos Codd. Græcos habere, quidam testantur. Syrus habet *V. S. reddens*, vel ut Trostius vertit, *redditurus est*. Sic quoque Haymo Halberstad. Episcopus, qui similiter: *Non ait, reddat, optativo modo; Sed reddat Indicativo, Verbum pronunciantis est, non imprecantis*. Atque hanc lectionem sequuntur Pontificii communiter. Claudius Espencæus Doctor Theologus Parisiensis Op. Th. p. 441. talem loci hujus sensum esse scribit: *Injuste quidem passus sum, hac illi minime impune succedent: nam eorum vicem recipiet, ac pœnam debitam luet*. Primasius tamen Uticensis in Africa Episcopus Comment. in h. l. *reddat legit, & exponit h. m. quoniam verbis DEI restitit, habeat cum Deo rationem*. Sed nec hic ulla peremptoria ad DEI Tribunal citatio apparet. Cæterum Oecumenius pariter a Paulo ultionem removet, quando ita in h. l. ἐν ἐπιστολῇ Παύλου ἔχαιρε τῇ τιμωρίᾳ, ἀλλὰ διὰ τὰς ἀδυνασίας ἐν τοῖς πιστοῖς ἴδει τὴν ἀγῶν ἐναντιομένους πάσχειν κακῶς, ἵνα μὴ ἀδυναμίαν καταγῶσι τῷ κηρύγματι, i. e. *Non quod Paulus gaudeat ultione, sed propter imbecilliores, qui inter fideles erant, oportebat eos, qui valde repugnabant, mala pati, ne imbecillitatem accusarent predicationis*. Et iterum: ἢ ὅτε προῤῥησὶς ὄντων τῶν μελλόντων, ἐν ἀρχῇ, i. e. *Aut quod eorum, que futura erant, vaticinium sit, non imprecatio*. Denique si vel maxime Apostolus Optativo modo vindictæ divinæ tradidit Alexandrum Apostatam, dici potest, quod hoc fecerit, non quod sibi fuerit gravis: sed quia glorioso JESU CHRISTI Evang. remoras in dies objicere satageret. Ita

E Simo-

Simoni videtur Episcopo tr. d. Magistr. c. 4. p. 76. Facit huc observatio Thomæ de Aquino, docentis in 2. 2. q. 25. art. 6. *licere homini imprecari malum, non sub rationi mali, sed sub ratione justitiæ & divinæ gloriæ.* Eadem est sententia Cosmæ Magaliani Bracarenensis lib. 2. Oper. Hierarch. p. 215. ubi ita: *Nec mirandum est, scribit, Alexandro imprecari Apostolum id supplicium, quo dignissimus erat; Valde enim, inquit, restitit verbis nostris. Impediendo enim prædicationem Evangelii, & fructum sacræ doctrinæ, non tam sibi, quam Christo & veritati restiterat.*

XX. Circa locum Apoc. VI. 10. notandum, quod itidem in illo patrocinium suæ causæ provocantes nostri frustra querant. Audiamus de eo cum primis Augustinum, qui Serm. XI. de sanctis ita disserit: *Super eo, quod Johannes audivit animas sanctorum cum clamore magno vindictam petere suorum persecutorum, oritur questio: Cum Dominus in Evangelio jusserit diligere inimicos, & orare pro persequentibus, quomodo sancti, jam cum DEO manentes, orent vindictam suorum inimicorum? Sed sciendum est, sanctos in conspectu DEI consistentes videre voluntatem illius, & ab eo petere, quod ipsum facere velle noverunt: & ab ipso bibere, quod de ipso sitiunt. Et iterum: Expectantes vere sancti vindictam de suis inimicis, optant venire diem extremi judicii, & resurrectionem corporum suorum præstolantur. Similiter quoque Gregorius cognomento Magnus super cap. I. Jobi: Quid est, scribit, animas sanctorum a DEO vindictam petere? nisi diem extremi judicii & resurrectionem extimatorum corporum desiderare? Magnus quippe sanctorum animarum clamor, magnum enim eorum desiderium, earumque verba ipsa sunt earum desideria; & paulo post: Ve-*

Verum nihil illa desiderant, quod ab ejus voluntate, quam cernunt, discordat: Sed ab ipso petunt, quod eum facere velle noverunt. Arethas porro Cæsareæ Cappadociæ Episcopus penitus vindictam de hominibus sumendam ab animarum sanctarum desiderio removet: ita enim in h. l. Οὐ κτ' τῶν ἀνθρώπων ἡ ἐκδίκησις ἀναβάλλεται (ὃ γὰρ τὸ αὐτὸ τῆς ἀγάπης κατὰ τῶν ἁποστόλων ἐπιτίθειται.) κατὰ δὲ τῶν δαιμόνων ταύτων ἀπαιτεῖται οἱ ἅγιοι, τῶν ἀναγόντων τὰς ἀνθρώπους εἰς τὴν ἑαυτῶν ἀνάγκην, i. e. *Non adversus homines ultio dirigitur (neque enim hoc charitatem decet, ut adversus eos insurgat, qui ejusdem sunt generis) sed sancti hanc adversus demones expetunt, qui homines inducunt ad sui interemptionem.* Subjungit tamen & idem Andreæ Cæsariensis, Cappadociæ Atchi - Episcopi explicationem, Augustinianæ conformem, quod nempe petant, τῆ νόσου συντέλειαν Glossa ordinaria itidem de consummatione seculi exponit, ita enim habet: *Desiderant majus gaudium, & consortium Angelorum: & justitia DEI consentiunt in damnatione impiorum.* Haymo Halberstadiensis pariter negat, sanctos postulare aut optare vindictam in suos persecutores, qua justas luant poenas, sed vindictam suorum corporum, occisorum, quæ velut in libertatem adferantur, & suam recipiant gloriam. Ex nostratibus B. Dn. D. Quistorpius Annotat. in h. l. notat, repræsentari ἀνθρωποπαθῶς divinæ justitiæ mysterium. B. D. Höe disertè: *Nihil amplius ex clamore isto concluditur, quam animas justorum, ubi ergastulis corporum suorum soluta sunt, desiderare consummationem seculi, ut corporibus iterum suis jungantur, & plenitudinem gloria consequantur.* Similiter fere etiam B. D. Gerhard. not. in h. l. Tenendum enim est, quod sermo d. l. sit de

illorum animabus Martyrum , qui corporibus suis adhuc
 requiescunt in terra , uti bene monet B. D. Waltherus
 Centur. Miscell. Theol. p. 303. Ipsæ vero interea animæ
 illa beatifica fruuntur visione DEI. In eo autem dum ex-
 petunt illæ appropinquare extremum iudicium , quo Deus
 hostes ulciscatur, nihil faciunt e voluntate DEI alienum,
 siquidem sanguis innocens per se quodammodo expetit
 ultionem divinam, ceu habet B. D. Balduinus in Phosph.
 veri Catholicismi p. 1168. idque ex Gen. 4. deducit.

XXI. Ipsius tandem Salvatoris Exemplum quod
 attinet, novimus sane, quod si vel maxime aliquando ad-
 versus hostes contumaces ac converti nescios iusta aspe-
 ritate usus ipse fuit, non tamen jussit, ut in hac, sed in
 mansuetudine potius exemplum ejus sequi debeamus: *Di-
 scite a me*, ait suavissimus Dominus, *quia mitis sum & hu-
 milis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, Matth.
 XI. v. pen. Quomodo vero erga illos, a quibus iniquissima
 ac mala quæque patiebatur, sese gesserit, prodit Evan-
 gelista V. T. Esaias, cum inquit: *Oppressus est, & ipse
 afflictus est, & non aperuit os suum, sicut agnus ad occisio-
 nem ductus, & sicut ovis coram tondentibus eam obmutuit:
 & non aperuit os suum.* Esa. LIII. 7. & in fine dicti capituli:
*Ipse peccatum multorum tulit, & pro prevaricatoribus in-
 tercedet.* Estque luculentus impletæ hujus prophetiæ te-
 stis Evangelista Lucas, ita scribens c. XXIII. 34. *JESUS au-
 tem dicebat: Pater remitte illis, nesciunt enim, quid faciant.*
 Quibus verbis Salvator non solum pro militibus ipsum
 crucifigentibus ac pro populo Judaico, cujus clamore at-
 que impetu adactus quasi Pilatus mortui innocentissimum
 Jesum adjudicaverat: sed pro omnibus hominibus ani-
 mo

mo & vultu composito oravit, ceu prolixè docet B. Dn. D. Gerhard. Harm. Evang. Qui etiam ibidem notanter: *Vide mihi sis hujus peccatorum, & vitæ preces. Non in cruce & angustiis constituti vel ex impatientia adversus DEUM murmuramus, sic Jobus & Jeremias diebus nativitatibus sua maledicentes Job. III. 2. Jerem. XX. 9. vel divinam vindictam imploramus, sicut Eliseus maledicit pueris se conviciantibus II. Reg. II. 24. Elias jubet ignem de cælo descendere, & assumere præfectum cum cohorte militari, ad se comprehendendum emissæ, II. Reg. I. 10. Zacharias interfectores suos dicit: Videat Dominus & requireret, II. Paralip. XXIV. 22. vel proximo convicia facientes malum pro malo reddimus, vel si admodum moderate agimus, de gravitate ac multitudine nostrarum calamitatum longas querelas teximus, Christus nihil horum fecit, sed omnium suorum cruciatuum, dolorum & contumeliarum immemor pro crucifixoribus suis primo omnium orat. A quibus vulneratur, illis medetur; vitam procurat illis, a quibus occiditur; illis compatitur, a quibus patitur. Orat pro omnibus, quia crucifigitur ab omnibus. Hactenus B. D. Gerhardus de Pass. Crucifix. Christi C. XIV. p. m. 667. Salvatoris igitur Exemplum si imitari voluerimus, pro illis, a quibus iniqua patimur, debemus orare, illisque injurias condonare, minime vero ad tribunal DEI peremptorie eos citare, vel ad illud, vindictæ cupiditate (quæ sane raro ab hujusmodi appellationibus abesse, certe facile sese illis insinuare solet) provocare. Sed placet iterum audire hic B. nostrum Gerhardum: *Hæc est, scribit porro dicto loco, filiorum DEI vera proprietas, orare pro inimicis: Matth. V. 45. Ideo CHRISTUS hoc loco pro interfectores suos orans Patris nomine utitur. Sicut ipse pro**

crucifixoribus suis oravit, sit inimicis nos affligentibus prom-
 pte condonare, & pro conversione ac salute ipsorum DEUM
 rogare debemus. Mens piorum, inquit Gregorius in Mo-
 ralib. solet hoc habere proprium, quod, cum injusta patitur,
 non ad iram, sed preces movetur, sicut Jesus, qui tunc pri-
 mum verbum protulit in cruce dicens: Pater dimitte illis &c.
 Hanc doctrinam, pergit ibidem B. vir, diligenter inculcat
 Petrus 1. Epist. II. 21. Christus passus est pro nobis, relinquens
 exemplum ἵνα ἡμεῖς ἑαυτοὺς ἀγαπήσωμεν, ut sequamur vestigia ejus. v. 23. Qui
 cum malediceretur, non reperebat maledicta; cum patere-
 tur, non comminabatur, tradebat autem judicanti juste. Ex-
 emplum Christi imitatus est Stephanus, qui cum lapidibus ob-
 rueretur a Judais, positus genibus orabat: Domine ne statuas
 illis hoc peccatum, Actor. VII. 60. Imitatus etiam est Jacobus
 frater Domini, qui, referente Hieronymo in Lib. de scriptor.
 Eccles. cum de pinna Templi precipitatus esset, contractis cru-
 ribus adhuc semivivus, tendens ad cælum manus dixit: Do-
 mine, ignosce illis, quid enim faciant, nesciunt. Imitatus est
 Moses Exod. XXXII. 31. Imitatus Paulus Rom. IX. 3. &c. Cum-
 primis vero exemplo Christi condonemus inimicis nostris, a-
 gone mortis imminente, ut fraterna illa condonatione no-
 stram dilectionem, dilectione autem nostram fidem testatum
 faciamus. Quod si enim cavendum, ne sol occidat super iram
 nostram, Ephef. IV. 26 quanto magis cavendum, ne iracundos
 mors opprimat. An satis nunc conformiter sese huic Chri-
 sti, & Sanctorum exemplo gerant illi, qui in extremo vi-
 tæ articulo constituti adversarios suos ad tremendum DEI
 iudicium citant, ut factorum iniquorum rationem ibi red-
 dant, quilibet hinc judicare quodammodo potest.

XXII. Sed dicat aliquis, tradere illos, qui adversarios
 suos

¶ (39) ¶

suos ita provocant, vindictam DEO juxta judicanti, id quod Christum fecisse, Petrus loc. cit. testatur, ac facere, quod alibi etiam in Scripturis S. mandatur, nempe ut DEO vindicta committatur. Deut. XXII. 25. Rom. XII. 19. Respondeo I. ad dictum Petri. Misso jam, quod nonnulli Codd. Latini ibi pro *juxta* legant *injuste*, & tunc minime præsens locus pro hac sententia afferri potest. Sed cum codices Græci constanter legant *δικαιως*, Syrus quoque ac Græci Interpp. quin ex Latinis quoque Augustinus, Fulgentius & Nostrates communiter in h. l. (Vid. B. B. D. D. Winckelmannum, Gerhardum, Hornejum, alios in h. l.) eam lectionem amplectantur, religio mihi est, hanc ipsam deserere. Dubium tamen nihilominus est, an Petrus de *vindicta* loquatur, cum non exprimat. Unde nonnulli de ipso Christo traditionem illam accipiunt, hoc significatu, quod *Christus seipsum DEO Patri in voluntarium sacrificium tradiderit sive obtulerit*. Alii de persecutoribus & hostibus Christi accipiunt, quod Christus illos DEO Patri tradiderit, non in judicium eos citando, sed pro eis orando, quam expositionem ea, quæ modo ex Esai. LIII. & Luc. 23. allata fuerunt, confirmand. In hoc sensu accipere videtur Glossa ordinaria, quando ita ad h. l. *Tradebat &c. DEO Patri injuste judicantes id est, eos, qui cum iniquissime condemnabant, & neci ejus instabant, ut supplicia sumentes erudiantur*. Tangit Evangelicam parabolam, ut pius Pastor relictis nonaginta novem ovibus in deserto, venit visitare unam, quæ perierat. Alii de traditione causæ exponunt. Sed si vel maxime accipiatur de traditione nonnullorum in vindictam, non tamen sequitur, ergo & nobis idem faciendum, cum Christus præciverit, quosdam fore pertinaces

sub

ac

ac incorrigibiles, quos ipse divino iudicio commisit; nos vero illo spiritu Prophetico destituimur. De Loco Deus, XXXII. ejusque parallel. Rom. XII. facile largior, prohiberi ibi privatam vindictam; ac contramandari, ut vindicta DEO, vel qui ejus loco justitiam in his terris administrat, Magistratui decenter committatur. An vero tali modo, de quo jam quæritur, vindicta DEO commendari debeat, adhuc sub iudice lis est, quia ille potius vindictam DEO commendat, qui ita causam suam atque innocentiam DEO resignat, ac liberum ipsius justitiæ atque voluntati relinquat, quantum ad poenitentiam spaciū persecutoribus ac malis relinquere velit, ac piis precibus a DEO contendit, velit convertere persecutem: quam qui certum præfigit terminum, quando adversarius coram DEI tribunali reddere facti rationem debeat.

XXIII. Sed dicat tandem aliquis, *ipsum eventum, tum nampe plurimi eo ipso tempore, die immo interdum ac hora ipsa, qua comparere jussi sunt, e vivis excessere, testari satis, tales provocationes fuisse legitimas, ac pondus apud DEUM habuisse.* Respondeo, ut ut de plurimis exemplis dici possit, quod ita provocati malæ conscientiæ stimulis tanquam a carnifice aliquo exeruciati & furiarum agitati tædis ardentibus sibi ipsis mortem attraxerint: concedam tamen, nonnullos jussu supremi iudicis hinc migrasse creto illo ac determinato tempore, sed num exinde ipsa provocatio licita censenda, vel DEO placuisse existimanda? Ambigo sane. Injusta quidem iudicia DEI sunt, sed occulta. Notum est, quod de Hadriano Imperatore, Suetonius ac Dio referunt, quod nempe Severianus qui-

dam, nonagenarius senex, cum ejus jussu præter meritum jugulandus esset, ignem proposcerit, incensoque thure dixerit: *Vos, Dii, testor, me nihil sceleris commisisse: Nec aliud imprecor Hadriano, nisi ut cum volet mori, non possit.* Id quod etiam evenerit, siquidem & barbarus conductus, qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit. Hinc neque hoc mihi quisquam negaverit, perturbationi quoque & horrori mentis aliquid adscribi posse, siquidem in extremis constituti, ea sæpe tentare, quæ, nisi exteriora ipsos angerent, omnino intermitterent, conspiciuntur. Sic quoque summum Numen quiritantibus sæpe (& falso quidem imprimis) non annuere, eosque vindictæ appetentes despicere, ipsaque terriculamenta, ridere, variis exemplis commonstrari posset. Mitto alias imprecationes, de quibus Zwingerus in Theatr. Vitæ humanæ, quas eventus itidem quandoque comprobavit. An vero tales imprecationes licitæ censendæ, eo quod eventus illas comprobavit? nolo sane affirmare. Adeoque nec hoc, quod illæ provocationes, quibus nonnulli adversarios suos ad DEI tribunal citarunt, DEO placuerint, vel saltem licitæ fuerint, eo quod eventus illas comprobavit aliquando. Neque tamen ob talem provocationem damnatorum ordini adscribendum statim puto; si quis ea usus fuerit, cum primis si innocentem capitali supplicio afficiendum se viderit, ceu in ventilatione quaestionis 3. pluribus dispiciemus.

XXIV. *Est instet quis urgendo, quod si talis provocatio ea intentione suscipiatur, ut mundus tali Tyranno liberetur, minime improbari ea possit.* Respondeo: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Cum igitur nullum in

Scripturis de hujusmodi provocatione extet sive mandatum sive probatum exemplum, & vix insuper intentio illa adeo pura sit, ut nihil privatæ vindictæ admixtum habeat, existimo, quod nec sic conscientiæ satis consulatur, cum primis quia constat, quod DE O non desint media alia, quibus alias orbem tyrannis liberare possit: ut adeo non necesse sit, tempus ac modum ipsi quasi præscribere, velle, quomodo Ecclesiam suam tueri debeat. Loquimur vero de provocatione, qua quis innocens utitur contra adversarium, a quo injuste supplicio afficitur. Quod enim illorum provocationes concernit, qui isto saltem fine adversarios vel iudices ad supremum iudicium provocant, quo coram mundo innocentes ipsi appareant, cum tamen satis sibi suorum scelerum conscii sint, nemini dubium esse arbitror, quod gravissime tales peccent, ac iudicium sibi ex illo nominis divini abusu attrahant intolerabile. Quo respiciens quoque B. D. Schmuckius in cap. XVI. Gen. p. 554. scribit: *Darum wir mit Gottes Gericht liederlich zufahren / oder bald dahin zu appelliren / billich eine große Scheu und Bedencken tragen sollen.* Hinc ut ut non ita graviter peccent, qui, dum præter meritum durissima quæque patiuntur, Tyrannos ad DE I iudicium provocant, non tamen sequitur statim, quod talis provocatio facile suscipienda sit.

Q. II. Quid iudici in tali casu conveniat, sive quid ipsi, si ita provocetur, sit agendum per Conscientiam?

Hac in quaestione ad subsequentes Regulas attendendum puto. Prima earum talis esto:

I. Contemnat Iudex citationem talem, si se iuste, b. e. mandatis divinis conformiter iudicasse, nec ullos adfectus

ad-

adhibuisse privatos, conscientia ipse sua didaverit. Præsertim si de facto ipso penitissime constiterit, rei que gestæ veritate. Hoc enim in casu tantum abest, ut istiusmodi provocaciones vel nocere illi possint, vel conscientiam ejus gravare, ut certus esse debeat, quod præmia potius administratæ justitiæ, quam pericula ipsum sint mansura. Judex enim sceleratos pro meritis pœnis subjiciens non hominis exercet judicium, sed Domini, 2. Paral. XIX. 6. 7. Id quod etiam secum perpendentes nonnulli, istiusmodi provocaciones parvi fecerunt. De Consalvo Ferdinando de Corduba Paulus Jovius in ejus vita, & ex hoc Simon Majol. Tom. 2. dier. Canic. col. 2. f. 524. ac Heroldus dict. dissert. p. 26. 27. ita habent: *Consalvus Ferdinandus de Corduba, cum Tarentum obsidens maleficum, quendam seditiosumque militem ad supplicium jussisset abripis, hic vero multum reluctatus, iniquissime se damnari vociferaretur, & proinde Consalvum ad dicendam causam ad Dei maximi tribunal magna voce citaret, Vade, inquit, Consalvus confisus optimo judice, festinaque & causam instrue. Nam aderit pro me, qui oportune respondeat Alfonso frater, qui nuper ex Terra Vermegia in cœlum contendit. Nam non ita pridem relatum habebat, fratrem a Mauris circumventum dignam forti pioque duce mortem oppetisse. Nobile temerariæ provocacionis ludibrium! Notum quoque e novellis superioris anni est, quod Anglus quispiam, cujus nomen jam memoriæ excidit, ob Regicidium in Carolo I. commissum, ad supplicium pro meritum a Carolo II. qui jam nunc rerum summa in Anglia potitur, raptus, Regem ad tribunal DEI citavit, quam sicuti hominis levitatem ac temeritatem Rex contempsit, ita comparatio-*

nis dies dudum præterlapsus est, nec quicquam Regi adversi obtigit.

II. *Suspendat executionem, diligenterque interim omnia momenta, & quacunque ad veri indagacionem pertinere noverit, examinet ac perpendat, servato interim reo in custodia.* Eo, ut si vel innocentia ejus appareat, lata retractetur sententia; vel si evenerit contrarium, decoctiore confirmetur consilio. *Potest enim, ut bene dixit Romanus sapiens l. de ira c. 23. pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* Et hoc imprimis tunc faciat Judex, si forte ipse animi quandam perturbationem persentiscat, quæ ad damnandum vel omnino moverit, vel non usque adeo certa est Sententiæ justitia, ob acta cum primis & probata nondum satis diligenter excussa, ut non supersit contrarii probabilis metus. Talis enim si supersit, sibi quoque præscriptum censeat judex cautissimi cujusque præceptum apud C. Plinium Cæcil. Sec. l. i. Ep. 18. *Quod dubitas, ne feceris.* Habeat igitur Judex ante oculos, quod illustris Scaliger l. Epidrop. p. 103. tit. *matura sententia;* graviter inculcat.

*Bis terque eadem repetita audias rogesque,
Stulto cita sententia de judice manat.*

Imo quod sanctio exigit divina, quam supremus vitæ mortisque Arbiter per interpretem suum Mosen promulgavit, his conceptam verbis: *Si scelus aliquid renuntiatum tibi fuerit atque audieris, inquireto diligenter, ac si vera ac certa fuerit res illa, si commissa fuerit ista abominatio in Israel, tunc &c. C. XVII. Deuter. v. 4. & C. XIX. 18. Cum diligentissime perscrutantes Judices invenerint, &c.* Si igitur omni in judicio diligens inquisitio requiritur,

ne

ne quis innocens damnetur, quanto magis necessarium erit actorum probatorumque examen, quin & conscientia propriae scrutinium severum, an a vitiosis adfectibus, praepostera ira, personae odio, commodi privati amore, &c. immunis sit animus, ubi reus ad extrema ista remedia confugit. Laudatur a Niceph. l. XII. Hist. Eccl. c. 41. Theodosius, quod Ambrosii monitu sententiam tulerit, *ut supplicia capitalia, post Imperatoris rescriptum per triginta dies suspenderentur.* Hoc si consilium Judex, à reo quopiam ad DEI tribunal citatus, secutus fuerit, optime conscientiae suae consulat. Neque enim fieri posse arbitror, quin intra tantum temporis spacium animus, si forte odio, ira, invidia, avaritia, superbia aliisque vitiis occupatus sit, paululum ab iis liberetur, ac praeposterorum affectuum tempestas sedetur, vel, si acta & probata non satis discussa, omnia multo diligentius explorari possint. Non alienum quoque forte fuerit, aliis subdelegatis iudicibus causam excutiendam committere, ac si testes forte suspecti fuerint, alios auditis superaddere. Istam porro inquirendo diligentiam, ne innocens quisdamnetur, vel puniatur, suo commendasse exemplo supremum Numen, Theologi monent. (vide B. D. Rungium Comm. in Gen. p. 189. 244. & 529. B. D. Gesner. Comm. in Gen. p. 273.) quando nempe prius audivit Adamum Gen. III. ac Sodomorum, eorumque qui turrim Babylonicam extruxerant, peccatum cognovit, ac diligenter quasi de factis eorum inquisivit, quam reos damnaret. Cyrillus l. 5. in Joh. c. XVI. *Num quid descensu indignit Dominus ad videndum turrim, cui omnia antequam fiant, cognita sunt, & qui caelum atque terram implet: An-*

non ideo descendisse scribitur, ut nobis significet, examinandam prius esse causam criminis, quam feratur sententia. Cur autem tam considerate & circumspicte hic agendum sit, alibi docet & Lacon. in apophth. Lacon. apud Plutarch. *ὅτι περὶ θανάτου τοῖς διαμαρτάνουσιν οὐ ἔστι μεταβλεψασθαι;* tum Euripides quoque in Supplic. v. 756. *Τῆτε γὰρ μόνον βροτοῖς, ἐν ἔστι πανάλωρ' ἀναλωθὲν λαλεῖν ψυχῶν βροτείαν χρημάτων δ' εἶσιν πόροι.* Et si dextre hic Catullum intellexeris, idem insinuare is videtur, quando dicit: *Soles occidere & redire possunt, nobis, cum semel occidit brevis lux, nox est una dormienda.* Cunctator igitur sit, oportet, qui de salute iudicat, juxta Cassiod. Nec ulla unquam de vita hominis cunctatio longa est. Summopere proinde cavendum, ne furore præcipitentur sententiæ, cum res maximi sit ponderis, vita privare hominem. Merito igitur reprehendenda populorum illorum Septentrionalium, sive simplicitas sive temeritas est, quibus in more positum fuisse, a nonnullis traditur, ut reum pridie suspenderent, postridie vero, num juste, an injuste factum esset, disquirerent. Æque nobile exemplum de Haimerano Episcopo Ratisbonensi videri apud Osiandrum potest. Epit. Histor. Eccl. Cent. 3. p. 23. & 315.

III. *Accuratissime consideret, num vera serie pœnitentiae ac pietatis indicia præseferat condemnatus provocans, an secus? Tum quoque; an notoriis aliis vitiis sit infamis, an vero honeste reliquum vitæ transegerit. Quid quod ipsa facies hominis animum quandoque prodat moresque, num innocens videlicet sit, an vero scelerum illorum, quorum arguitur, affinis.*

IV. *Dispiciat, num facinus illud, ob quod accusatus*
pœ-

pœna capitali subjiçendus est, tale sit, cui in ipsa lege divina mortis supplicium constitutum. Sin minus, consideret, ne nimio rigore & summo jure agens injuriam inferat parti innocenti. Præstat certe *in iudicio* in tali casu dominari. Sicut enim in inquisitione facti præstat decem nocentes absolvere, quam unum innocentem condemnare: Ita in pœnis infligendis satis est, mitigatione ac moderatone uti, quam rigore, nisi criminis atrocitas severitatem pœnæ exigat. Et tantum quoque de hac Quæst: Sequitur.

Quæst. III. *Quid statuendum de illorum salute sit, tum qui alios provocantes ad supremum DEI tribunal moriuntur, tum qui provocati itidem morte violenta, vel subitanea vivendi finem faciunt?*

Quod præsentem quæstionem concernit, tutissimum sane videtur, ante oculos habere Salvatoris monitum Matth. VII. 1. *Nolite judicare (condemnare,) ne judicemini.* quia tamen non solum Photiniani, ceu ex Joh. Sommeri Tract. Anno 1583. edito, patet, statuunt, *damnari universos, qui ob facinora jugulantur a carnifice, vel violenta aut cruenta morte intereunt:* Verum etiam aliquis in eas cogitationes descendere possit, quod ex subitanea ista morte, qua provocati aliquando eo abeunt, quo negant redire quenquam, appareat quodammodo, eos minime propitium habere Numen; quid Christianæ charitati maxime videatur probabile, pariterque ad conscientia tranquillitatem facere, paucis dispiciemus. Quod igitur *Provocantes* attinet, (loquimur de illis, qui capitali supplicio afficiuntur,) sunt illi in duplici differentia. Aut enim *juste* ob scelera quædam promerita istam luunt pœnam, provocant tamen judicem ad DEI iudicium, vel

vel ut promeritam poenam effugiant, vel ut se, suamque
 familiam ab infamia intentati criminis liberent; Aut *in-*
justo supplicio afficiuntur, provocantque ad DEI judi-
 cium, ut innocentiam suam testentur, ac judicem ab in-
 justa sententia revocent. Quod illos attinet, fateri om-
 nino cogor, quod graviter peccent, imo gravissime,
 cum nomine DEI turpiter abutantur, ac judicium divi-
 num, quod aliis minantur, sibi met ipsis attrahant: Existi-
 mo tamen, quod hi ipsi quoque, si seriam modo egerint
 poenitentiam, & vel in extrema etiam vitæ linea consti-
 tuti delicta priora, tum hanc cum primis nominis divini
 profanationem agnoscant, & a Patre misericordiarum
 propter Christum, unicum generis humani Mediato-
 rem, delictorum veniam expetant, minime de gratia ac
 hujus quoque peccati remissione desperare debeant; cum
 nulla poenitentia sit sera, modo sit seria & vera. Hos
 jam quod concernit, ut ut melius omnino faciant, cau-
 sam suam DEO committendo, & illius justitiam implo-
 rando, quam de privata vindicta cogitando. Quia tamen
 facillime contingere potest, ut & ipsi hi, affectuum ve-
 hementia superati, humani quid patiantur, nec Zelus ju-
 stitiæ divinæ facile hodie in aliquo adeo purus sit, quin,
 quæ extrema naturæ nostræ per peccatum corruptio est,
 aliquid de privata vindictæ cupiditate habeat admixtum,
 magis certe & hi conscientia tranquillitati consulent,
 si ubi in talem provocationem erupuerunt, DEUM
 invocent, quo, si quid ex imbecillitate in facto isto ab
 ipsis commissum, quod Christianæ adversetur charitati,
 id omne propter Christum condonet, quam ut nimium
 sese in tali provocatione efferant, aut sibi placeant, vel
 meri-

meritorium etiam opus eam statuunt, cen Del - Rio l. c. sibi persuadet, diserte scribens: *Et quidem cum res sit indifferens, & finis bonus, puto actum esse meritorium.* Deinde videntur quoque tales Provocationes, in casu nempe supplicii capitalis iniuste sustinendi, distinguendæ ratione *modi intentionis*: sunt etenim vel *livore vindictæ*, vel *zelo divina justitiæ*. Priori modo quin merito reprehendantur, nullum videtur superesse dubium: quod vero propterea statim de illorum, qui ita injustum judicem provocarint, salute æterna dubitandum sit, nondum, ut credam, adduci possum; siquidem & in hoc casu intercedere poenitentia potest. Si quis vero in pertinaci adversus judicem vel adversarium odio e statione hujus vitæ decedat, vereor, ne talis incurrat judicium Apostoli Galat. VI 8. coll. cum C. V. 20. 21. ac Johannis, I. Epist. III. 14. 15. imo ipsius Salvatoris, Matth. V. 22. 25. 26. Quod eos autem spectat, qui ex *solius amore justitiæ* ad supremum Tribunal provocant, hos sane, modo absit omne odium, vindictæ cupiditas, impatientia, ira, vanæ gloriæ desiderium, superstitio, aut alia quædam mala affectio, minime judico damnandos. Atque hoc modo Theologi accipiunt comminationes & imprecationes sanctorum virorum, Davidis, Zachariæ, Pauli, ipsiusque adeo Salvatoris, quarum in Scripturis S. fit aliquando mentio. At tamen, cum quæ nostræ naturæ post lapsum infirmitas est, facile declinare quis hic in obliquum a rectitudinis tramite possit, nondum adduci possum, ut credam, omnes illos, quorum Historici mentionem faciunt, quod adversarios suos ad DEI tribunal provocarint, eo justitiæ Zelo, qui ab omni privata vindictæ aut vanæ gloriæ

G

labe

labę immunis fuerit, id fecisse: quin potius facile per-
suaderi mihi patior, multos eorum humani quid passos
esse. Quod ipsum cum & hodiernum alicui evenire pos-
sit; (affirmare enim prope ausim, æque paucorum hodie
esse ac difficile, Zelum justitię divinę a privatę glorię
aut vindictę cupiditate hic immunem servare, quam dra-
conem jugulare, ut filius tamen, quem in faucibus ille
tenet, non interimatur, id quod Alcon Cretensis sagit-
tandi pericissimus fecisse dicitur. vid. Manil. l. 5. Astro-
nom. ac Val. Flac. l. Argon.) sane tutissimum omnium
optimumque adversus quasvis injurias remedium puto, si
Christiana patientia durissima quęque perferantur. Ad-
spiciamus Protomartyrem Stephanum! hic certe, cum
innocentissimus lapidibus obrueretur, non ad tribunal
DEI provocasse, vel illuc citasse oppressores legitur, sed
in hæc potius erupisse plena patientię, plena pietatis ver-
ba: *Domine, ne statuas illis peccatum hoc*, Actor. VII. 60.
Quod si his precibus id effectum, quod Augustinus & Ful-
gentius existimant, ut Saulus (qui, si non manibus, ta-
men approbatione Stephanum lapidarat) præclarum
DEI organon evaserit, quanto magis seriis precibus pro
oppressoribus laborandum, saltem ne in æternum pere-
ant, sed ut convertantur. Accedit, quod absque condo-
natione fraterna precibus nostris (quibus tamen mori-
bundus maxime opus habet, cum eo tempore armis his
contra ultimum hostem illi certandum sit, ac anima ex
hospitio hujus corporis in cælum tendens tali viatico in-
struenda sit) vix pondus insit, aut speranda exauditio.
Notanter Chysof. Hom. 16. in Actor. *κάν ένχηται τις, ειπή
ένχηται μετά όργής και θυμής τήτε.* Et paulo post: *μάλις α
τύς*

τῆς μαχομένης θυμῶν ἔ χρῆ. Μάλιστα τὸς ὑβρίζοντας θυμῶν ἔ χρῆ. Pulcre vero de Stephano Cyprianus lib. de bono patient. *Sic esse oportuit primum Martyrem Christi, qui martyres secuturos gloriosa morte praecurrens, non tantum Dominica passionis praeicator esset, sed et patientissime lenitatis imitator.* Intueamur imo atque imitemur ipsius dulcissimi nostri Salvatoris mansuetudinem, qui utut dura a Judæis ac Gentilibus passus esset verba, duriora verbera, ac durissima crucis tormenta, crucifigentibus tamen non maledicebat, nec ad severum ac vindex DEI iudicium eos provocabat, sed pro illis ardentem orabat: *Pater inquit, remitte illis, nesciunt enim, quid faciant*, memorante Luca c. XXIII. 34. Si tamen omnino gloria DEI requisiverit, ut innocentia nostra manifesta fiat, committamus piis precibus causam nostram DEO iudici justo, non provocando hostes nostros ad DEI iudicium, sed ejusdem voluntati in totum resignando placido animo, qua ipse ratione innocentiam nostram in lucem proferre, oppressores vero nostros sive promeritis subicere poenis, sive etiam, quod semper in votis habere debemus, convertere velit. Hæc utut optima omnium tutissimaque ratio sit, DEO causam ac vindictam commendandi, nolim tamen, ut supra quoque commemoravi, de illorum salute quis desperet, qui adversarios suos, in causa cum primis Religionis, si manifestæ illi veritati cœlesti semper obmurmurent, ad DEI iudicium remittunt. Id quod factum quoque non ita pridem a Theologo quodam, scriptis pariter ac viva voce optime de Ecclesia & re literaria merito, referunt. De quo sane, quin coronam justitiæ, ut qui multos docuit justitiam, Dan. XII. 3.

ex manu Salvatoris nostri acceperit, nullus omnino am-
 bigo. Denique respiciendum hic quoque ad vitam an-
 teactam illorum, qui ita provocant, tum quoque ad
 mortem ipsam, quam sustinere coguntur. Jurene, an
 injuria? Sed quid de illis statuendum sit, qui *Provocati* ab
 aliis, opinione citius vivendi pausam faciunt, paucis et-
 iam dispiciemus. Possunt vero & horum duæ quasi con-
 stitui classes. Etenim primo contingere potest, ut illi
 quoque a reis provocentur, qui dum officii, divinitus si-
 bi commissi, partes implere satagunt, pœnas capitales
 ab iis, quos acta & probata commissi sceleris, cui in legi-
 bus etiam divinis mortis constituta pœna est, satis convi-
 cerunt, sumere coguntur. Hos si provocatos subitanea
 morte abire contingat, hautquaquam, quantum ad hoc,
 de illorum salute dubitandum puto; siquidem ipsi nihil
 contra conscientiam in reos illos statuerint, ac vera in
 Christum fide hinc discesserint. Nec diversum quoque
 evincere violenta illa, ut ita loquar, mors potest, cum
 contingere possit, ut alias ea causas habeat, vel si quam
 maxime nullæ appareant, non tamen statim ex improvi-
 sa illa ex mundo hoc evocatione inferendum, quod ad ira-
 ti judicis citentur illi judicium. Sunt porro, qui ex
 privato eoque detestando odio vel commodi alicujus
 consequendi gratia, innocentes accusant, vel damnant,
 & diris suppliciis afficiendos curant: Hos si ab innocenti-
 bus provocatos termino constituto mori contigerit, tunc
 ante omnia dispiciendum puto, num iniquissimum ju-
 dicium scelusque commissum agnoscentes seriam pœni-
 tentiam egerint prius, quam hinc discesserint; an vero
 in impœnitentia mortui fuerint. Si illud, hautquaquam
 regno

79.
¶ (53) ¶
regno cœlesti exclusos eos autumnō ; Sic hoc , jam tum
verax ac infallibilis iudex sententiam de hujusmodi im-
pœnitentibus homicidis promulgavit , quod sc. extorres
illi futuri sint a cœlesti Hierusalem. vid. Apoc. XXI. 8.

Atque hæc de præsentī themate attulisse sufficiat. in
quibus si quid sive a recta fide , sive a pietate alienum a me
dictum , quod tamen non puto , non dictum esto ! Faxit su-
premus omnium , Iudex , ut innocentes inveniamur , cum
ipse apparuerit , iudicare vivos & mortuos. Huic sit
laus , honor & gloria , in secula nunquam
terminanda , Amen !

Admonitio ad L. B. C.

Ne pagella hæc vacua relinquatur , visum fuit , pau-
ca adhuc monere.

Et 1. quidem ad Th. IX. n. 6. quod insigne cumprimis
faciat huc exemplum Ferdinandi IV. Hispaniæ Regis. Hic
enim licet bello & pace bonus habitus , attamen in judi-
cando præceps aut rigidus , & ad sævitiam inclinare visus
fuit. is nobiles duos & scutiferos , Petrum & Johannem
Carvai (quidam nominant *Calvajal*) ob occultam Benavi-
dii eadem perduellionis suspectos ex altissima turre præ-
cipites dare jusserat. Qui ut ut crimen constanter per-
negarent , neque testibus aut aliis probationibus convicti
essent , nihil apud contumacem magis , quam justum Re-
gem profecerunt. Adducti igitur & adacti ad vertigino-
sam mortem , se innocentes mori , & quoniam Regis au-
res justissimæ defensionis obstructæ essent , ad Tribunal se
divinum appellare clamarunt , proindeque ad trigesimum
diem iudicio se sistere Rex meminisset. Dicta nihil value-
runt,

runt, sententia tenuit: attamen ipsorum vadatio nec tem-
 pore, nec die fallax fuit. Illuxit quippe Regi funestus &
 fatalis dies trigesimus, quo cum dormire Rex domesticis
 videretur, in fata plane & iudicium illud concessit juvenis
 florens, annos non plus XXV. natus. Referunt non Chri-
 stiani solum scriptores (uti B. D. Conr. Dietricus in. lib.
 Sapient. p. 26. Campofulgosus lib. 1. Cap. 6. dict. Factorum-
 que Memorab. Naclerus vol. 2. Mich. Ritus lib. 3. de Reg.
 Hisp. Jos. Mariana lib. 15. Hispan. Anal. c. II. aliique plu-
 res, laudati Johanni Heringio, Archi- Episc. Capit. Bremen-
 sis quondam Syndico discursu eruditissimo atque elaboratis-
 simo de Appellat. ad Judic. Dei. n. 141.) verum etiam e Ju-
 daeis doctissimus ille Manasses Ben Israel tract. Ebraeo de ani-
 ma lib. 3. C. 8.

2. ad Thef. XXIV. p. 44. quod gemellum exemplum
 elusionis temerariae huiusmodi appellationis Henricus III.
 Galliarum Rex praebeat. Hunc ipsum enim cum Julius III. P.
 R. per Legatos ad D E U M citasset, Rex annuit, seque pro tri-
 bunali D E I affuturum promisit; ceterum certo se scire,
 Pontificem vadimonium deserturum. Meminit Arnoldus
 Clapmarius de Arcanis Rerumpubl. lib. I.

C. 19. p. 33.



In

In honorem Eximii atque Praestantissimi
DN. NEUMANNI, S. S. Theol.
Cult. Strenui,
Disputationis presentis auctoris erud.

T Ngenium pulcrum pulcris dum moribus
ornas,
Ac studium jungis ; nonne boni faveant!

Joh. Ern. Gerhardus, D.

C Onstet ut, in vallem Josaphat liceatne ci-
tare,

Ad cathedram doctos, dulcis amice, citas,
Sic felix! Quod judicium sponte expetis orbis,
Indicium causæ judicat ille bonæ.
Fallor ? an hæc de Te sententia, docte, feretur.

*NEUMANNUS vicit, cunctaque puncta
tulit?*

M. CHRISTIANUS Northolt/
Holfatus, Coll. Phil. Adj.

D Um digniore fictus ære, celsam.
NEUMANNE scandis publice cathe-
dram,

Ac

Ac monstas divinam *provocationem*,
Scripturæ genium sacrae retexens,
Nostram non parum tu tuere famam;
Et simul ostendis, Theologum te
Esse, & interpretariè perite

M. JOHANN Schlevogt.

Ammortale paras tibi nomen, dulcis Amice,
Dum properas pernix ad limina sancta Ca-
thedrae,

Munere sublimi functurus. Gratulor ausis
Hisce tuis ex corde imo, majora præoptans;
Scilicet, ut tandem tibi præmia magna laborum
Cedant, ac laudis dignæ lateris honore.


JONAS Schulke / Tangermünd.
Palæo - Marchita.



ULB Halle


3


005 132 568



YD77







M. 1660, 12^a
13

ATIONE

ruptum Judicem

RISTUM

dicunt

SAPHAT,

OLOGICUS,

Excellentissimo,

GERHARDO,

Salana famigerata

otore suo devenerando
lum

n / Perlemont Marchie.

NUAR.

ologorum

C LX.

SIAN Ad

